diente religionem. Et de hoc casu satis egimus lib. I. tota disp. 44. ubi id esse injustum probavimus, licet ineat matrimonium, & ante consummationem ingrediatur. Et ita tenebitur restituere expensas.

9 II. Casus est, quando nulla matrim. fide data, virgo consentiens deflorata est, aut precibus non inducentibus restituendi obligationem; & postea deflorator matr. illi promisit. Et in hoc casu existimo eum in foro conscientiæ posse ingredi religionem, & sic non teneri ad partem expensarum restituendam (quid autem sit in foro externo dicemus n. 12.) Ducor, quod cum nullatenus ad id matr. teneretur, sed ea obligatio ex mera liberalitate processerit, quamvis sumpta ansa ex præcedenti delicto, quod nullam injuriæ rationem habeat in se inhibitam, nec ad restituendum aliquid obligabat, includit tacitam conditionem, nisi transitus ad religionem placuerit. Et sibi imputet femina damnum honoris, quod patitur: id enim non ex ingressu alterius in religionem, sed ex defloratione, cui volens consensit, nascitur.

10 III. Casus est. Quando deflorato fuit spontanea, nec data matr. fide, sed sola aliqua summa pecuniaria promissa, at postea deflorator matr. promisit loco illius summæ pecuniariæ. Et in hoc idem dico quod in præcedenti casu dixi. Quia ad matr. nulla prorsus obligatio præcessit, nec deflorato injuriosa fuit, illique satisfit sola pecunia promissa. Matrimon. autem promissio loco illius facta retinet implicitam conditionem, quam suapte natura habet, nisi promittens ad religionem transeat. Quare satisfaciet hic ad religionem transiens reddens pecuniam prius promissam, & solam expensarum partem, quam solvere tenebatur. Quod si solvendo non fuerit, & spes fuerit fore solvendo, si in sæculo aliquantulum demoretur, tenebitur demorari donec solvat, instar aliorum rei pecuniariæ debitorum. Nec obstat hanc obligationem matr. tanquam subrogatam obligationi pecuniæ, debere ejus naturam sapere. Quia sapit ad hunc sensum, quia sicut pecunia illa debebatur, ita & executio ejus promissionis: non tamen eodem modo. Quia illi non inest jure conditio, nisi transitus ad religionem placeat; quæ tamen inest huic.

11 Ultimus casus est, quando deflorato fuit injuriosa, nempe violenta, aut precibus violentiæ æquipollentibus, aut dolo, & postea deflorans, ut ei injuriæ satisfaciat promisit ei feminæ matr. Et in hoc eventu existimo si sua sponte & non metu coactus id promisit, non posse illum tuta conscientia ad religionem transire, etiamsi matr. ineat, & ante consummationem transire velit: & ita si de facto profiteatur, tenebitur ad totas dispensationis expensas. Sicut dixi in 1. casu relato n. 8. Ducor, quod cum hic ex vi injuriosæ deflorationis teneretur vel eam feminam ducere, aut ejus dotem augere: juxta *c. 1. de adult.* & potest late videri in *Gutt. qu. canon. lib. 1. c. 37. an. 7.* Ea matr. promissio nequit dici liberalis; sed vere satisfaciens injuriæ violationis, & ex vi illius debita, quamvis non determinate, sed sub disjunctione. Quare cum deflorans promittit postea feminæ acceptanti matr. non imponit sibi novam omnino obligationem, sed disjunctivam determinat ad alteram illius partem. Ergo contra hanc obligationem quam sibi voluntarie elegit imponendam, ut satisfaceret gravissimæ injuriæ, non poterit ad religionem transire cum damno feminæ, quæ jure optimo potest quamcumque aliam injuriæ satisfactionem respuere. Et confirmatur, quia cum in hoc casu magis injuriosa fuerit violatio, utpote violenta, quam dum sua sponte femina consensit promisso sibi matr. & eadem promissio sit jam facta, sicut non potest resilire transiens ad religionem, quando femina sponte consensit præcedenti ea promissione, ratione injuriæ feminæ: ita ratione majoris injuriæ ex violatione coacta illatæ id non poterit, quando promissio matrim. in illius satisfactionem subsecuta est. Id enim quod semel placuit, nequit amplius in gravem feminæ injuriam displicere. Dixi, quando sua sponte, & non metu coactus promisit. Quia cum secluſa ea promissione non teneretur ad matr. & sic non haberet impedimentum ad licitum religionis ingressum; nec ea promissio impediet, quia ob coactionis injuriam minime obligat. Et quamvis in foro externo non juvaret, nisi metus in virum constantem caderet: at in foro conscientiæ sufficeret metus levis, ne obligetur ea (ut probavimus lib. 4. disp. 9. nu. 4.) Dixi etiam quando fuit deflorato virginis. Quia si viduam honestam aut aliam non virginem sic violenter absque matr. fide cognovisset, licet postea promitteret illi matr. in satisfactionem, posset ingredi religionem, & alio modo satisfacere injuriæ illatæ. Quod cum nullo modo teneatur ad matrimonium (in virginis enim deflorationem id specialiter statutum est *cap. 1. de adult.* ut ad id vel ad dotem teneatur deflorator, ratione gravioris injuriæ) quamvis vi cognoscatur, quæ non erat virgo, ea promissio sit omnino voluntaria, & sic habet imbibitam tacitam conditionem, nisi transitus ad religionem placuerit.

12 Hinc deducitur, eum, qui virginem defloravit etiam consentiente, & post deflorata dedit fidem matr. etsi in foro conscientiæ posit ad religionem transire, (ut n. 9. diximus) in foro externo compellendum esset ne transeat, sed deflorata ducat: nisi ipse probet eam non fuisse virginem, aut sponte consensisse. Ratio est, quia quando dolo aut vi deflorat, est ad hoc compellendus (ut n. præc. diximus.) At quamtumcumque ipse alleget eam non fuisse virginem, aut consensisse, ei non creditur, nisi legitime probet: sed præsumitur in foro externo ea virgo, & seducta. Ut ex *L. 1. ad fin. c. de raptu virg.* probant *Abb. c. 1. nu. 2. de adult. & ibi Anan. n. 2. Navar. sum. c. 16. n. 16. Ant. Gom. l. 70. Tauri n. 10. Guttier.* dicens esse omnium, *qu. canon. l. 1. c. 37. n. 11.* Ergo in foro externo deflorator non probans contrarium, succumbet, & compellitur ut relicta religione eam ducat. Temperarem tamen, nisi inter deflorantem & virginem esset aliquod impedimentum matr. ut si essent consanguinei. Tunc enim promissio illa fuit omnino voluntaria, quamvis illa per injuriam deflorata esset. Quia textus *c. 1. de adult.* obligans ad ducendam feminam dolo deflloratam, non loquitur in hoc eventu. Cum enim inter hos nequeat matr. consistere, non potest ad illud obligare. Atque adeo cum promissio fuerit omnino voluntaria, cessat ratio tradita nu. præced. Et procedunt, quæ num. 9. tradidi, ut possit is in utroque foro impleta ea promissione, ad religionem transire.

13 Hæc autem matrimonii promissio, & quæcumque sponsalia non probantur testibus singularibus, neque ex iis imperfectis probationibus integra & plena coalescit, ut probant *Alex. tota consil. 143. vol. 2.* & multos allegans contra alios oppositum sentientes. *Ant. Gabr. t. 3. commun. l. 1. tit. de probat. conc. 1. num. 36.*

LIBER NONUS.

DE REDDITIONE DEBITI CONJUGALIS.

Divisio Libri.

CUM hactenus disputandum sit de requisitis ad constituendum matrimonium, & de secundis nuptiis: jam de effectu ac obligatione consurgente ex matrimonio inter ipsos conjuges, nempe mutua debiti conjugalis redditione ac cohabitatione differendum est; de qua præsens liber disputat. Hic autem ordo servandus est. Primo differetur, an actus conjugalis ex se sit licitus & obligatorius. Deinde de obligatione ad cohabitandum, Postmodum, quia actus quicumque bonus potest ex circumstantiis vitiari, disputabitur de circumstantiis, ex quibus reddatur actus conjugalis vitiosus, nec teneatur conjux exactus ad debiti redditionem. Tamdem de tactibus, ceterisque libidinosis delectationibus inter conjuges sponsosque de futuro; & hujus occasione etiam inter solutos.

DISPUTATIO I.

An actus conjugalis sit ex genere suo bonus ac meritorius, si in gratia exerceatur?

SUMMARIUM.

Refertur sententia dicens nunquam exerceri sine peccato, num. 1.

Impugnatur hæc sententia, & proponuntur remissive bona excusantia matrimonium, 2.

Actus conjugalis exercitus in gratia est meritorius; & an in ipso conferatur gratia ex opere operato, 3.

Solvuntur argumenta: & explicatur cap. Vir cum propria, 33. qu. 4. num. 4.

1 PRæter nonnullos hæreticos, qui nuptias illicitas esse testati sunt: quos late confutat *Bellarminus lib. 1. de matrimonio a cap. 1. usque ad 5.* non desunt ex Doctoribus catholicis, qui doceant actum conjugalem non posse absque culpa saltem veniali exerceri, quos tacito nomine refert. *D. Bonav. 4. dist. 31. art. 2. quæst. 1.* & ejusdem sententiæ fuit *Hugo c. Vir cum propria 33. q. 4.* Dicuntur primo authoritate *D. Gregorii, responf. 10. ad interrogationes D. Aug.* & refertur *eo cap. Vir cum propria*, ibi: *Vir cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aqua, intrare Ecclesiam non debet: sed neque lotus intrare statim debet.* Nemo enim culpæ immunis ab Ecclesiæ ingressu arceri debet. Secundo, authoritate *Origenis hom. 6. in Num.* ubi negat in coitu unquam Spiritum sanctum adesse. Tertio, quia *Siricius Pontifex epist. ad Himerium Taraconens.* verb. illa Rom. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*, ad eos, qui matrimon. copulantur, accommodat. Quarto, quia in actu matrim. intervenit turpitudo, & immundities: ut ex *illo 1. Reg. 21. Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus*, probat *D. Hier. lib. 1. in Jovinian.* & constat ex illo *Apoc. 21. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Quo loco coinquinatio vocatur omnis actus, quo perit virginitas, quam per actum matrimonii violari dubitat nemo. Quinto, quia utens actu conjugali postponit bonum rationis, cujus actu tunc sua sponte se privat aliis bonis inferioribus, quod sane perversio quædam est debiti ordinis, ac proinde culpa. Sicut accideret in præferente bona fortunæ honori ac vitæ. Tamdem, quia in actu conjugali invenitur effrenata delectatio appetitus sensitivi: quod testatur verecundia ipsa, quam, natura dictante, homo patitur in actu venereo.

2 Ceterum veritas catholica est, actum conjugalem esse ex se licitum, posseque absque omni culpa exerceri. Quod constat primo, quia cum res, cujus per se usus est malus, iniqua sit, si actus conjugalis, qui est per se matrimonii usus, malus esset, neque absque culpa exerceri posset, matrimonium ipsum iniquum esset. Quod manifesta hæresis est: cum sit institutum a Deo ad generis humani propagationem. Secundo, quia actus conjugalis reddendi debitum est actus virtutis justitiæ, cum reddatur conjugi debitum ex pacto matrimoniali contractum. Præterea, tam in petente, quam in reddente, ordinatur ad propagandam sobolem ad cultum Dei, conservandamque speciem: ad quod ipsa naturalis ratio inclinat. Insuper is actu sacramentali sanctitate gaudet, ex significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia. Et quamvis aliqua detrimenta videatur afferre, ea tamen compensantur bono fine prolis, ac sacramenti, ut late explicuimus lib. 2. disp. 29. fere per totam: ergo actus conjugalis est bonus. Tandem, quia Deus optimus maximus protoparentibus nostris actum conjugalem præcepit, Genes. 2. *Crescite, & multiplicamini*: blasphemum autem esset, credere actum de se malum præceptum a Deo.

3 Hinc manifeste infertur, actum conjugalem in gratia exercitum, debitisque circumstantiis vestitum esse meritorium: prout in ceteris bonis actibus justi contigit. Quod nullus sane Theologus negat, nec negari potest. Quod si roges, an in ipso actu conjugali conferatur gratia Sacramentalis ex opere operato. Dic conferri quidem ex opere operantis: ut in aliis operibus bonis: non autem ex opere operato, cum non sit sacramentum, nec pars ejus necessaria. Quare gratia sacramentalis consertur ex opere operato, dum Sacramentum ipsum matrimonii per verba de præsenti celebratur. Antiquitus autem, cum matrimonia clandestina erant valida, dum sponsalia de futuro transibant per copulam in matrimonium, dabatur gratia ex opere operato, in ea priori copula. Quia vicem formæ sacramentalis gerebat: explicabat enim consensum de præsenti. Ita docent *Bellarmin. lib. 1. de matrimon. cap. 5.* Cui addo, etiam hodie posse aliquando perficere matrimonium, quod prius per verba de futuro erat initum. Ut explicuimus lib. 3. disput. 40. numer. 7. & tunc conferre gratiam ex opere operato, tanquam formam perficientem sacramentum.

4 Ad argumenta num. 1. proposita resp. Ad 1. dic, non id dixisse D. Gregor. ob culpam aliquam quæ in ipso matrimonii actu inveniatur, sed ob decentiam quamdam, eo quod actus ubi neptum quodammodo reddat hominem ad spiritualia & sancta pertractanda. Quod sane verbis subsequentibus explicuit, ibi: *Nec hoc dicentes deputamus culpam esse conjugium: sed quia ipsa licita admissio conjugum sine voluptate esse non potest.* Vel 3. dic, id accidere: quia quamvis sine culpa exerceri possit, ea tamen est humana fragilitas, ac propensio ad voluptatem veneream, ut vix culpa venialis in actu desideretur. Ad 2. dic, Origenis mentem esse, non quod omnino Spiritus sanctus in eo actu absit, sed quod non adsit speciali quodam auxilio, sed generali, veluti ad reliqua bona opera justorum naturalia. Ad 3. dic, non loqui de nuptiis justis, sed de sacrilegis celebratis per sacerdotes, qui voto solemni ad continentiam arctantur. Ad 4. respondeo, dici immunditiem & coinquinationem, non moralem, quæ culpam constituat, sed naturalem: quia membris turpibus, & pudendis, fœdoque motu exercetur. Ad 5. dic, non esse debiti perversionem, si quis leve aliquod detrimentum in bono potiori & altiori subeat, ob inferiora bona, si tamen ea maximi momenti sint, quale est bonum speciei, quod ex generatione consequitur. Sicut ob individui conservationem juste intermittuntur somni tempore actiones superioris rationis. Ad ultimum dic, illam effrœnatam & intentam appetitus sensitivi delectationem esse malum pœnæ ex originali labe promanans: minime autem malum culpæ, quando limites rationis non transgreditur.

DISPUTATIO II.

An actus conjugalis, quoad petitionem & redditionem debiti, sit sub præcepto?

SUMMARIUM.

An vir & uxor sint pares in actu matrimoniali, n.1.
An petere debitum obliget aliquando, n.2. & ibi nemo tenetur uti jure suo, quod pro se introductum est.
Reddere tenetur conjux conjugi, sive expresse, sive tacite petat, 3.
An sit interpretativa uxoris petitio, quando vir attenta ejus conditione, vel aliunde percipit ipsam concubitum appetere, 4.
An sit idem dicendum de uxore respectu viri, 5.
An sit debiti redditio, obligetque quando conjux sentit in altero conjuge etiam non petente, periculum incontinentiæ, sive speret fore ut ipsi copula conjugali subveniatur, sive id dubium sit, 6.
An hæc sit obligatio ex justitia, vel tantum ex charitate, n.7. ubi quid si alter conjux non appetat copulam conjugalem.
An sit ex natura matr. jus petendi debitum, & obligatio reddendi, 8.
An sit culpa lethalis negare debitum conjugi, 9.
An semper conjux animo obligandi petat: vacetque culpa negare conjugi debitum non eo animo petenti, 10.
An sit parvitas materiæ raro negare debitum: vel non statim reddere, etiamsi petens patiatur pollutiones involuntarias, vel morbum ex dilatione, 11.
Quando conjux est nimius in petendo, an sit culpa negare, 12.
Quid si conjux remisse petat, alterque precibus non importunis avertat, 13.
Quid quando conjux raro & magna cum difficultate reddit, 14.
Quid si ex negatione debiti oriantur scandala & discordiæ, licet conjux se excuset ratione Eucharistiam recipiendi, 15
Quid si alter instet plurimum, altero se excusante, 16.

1 PRima conclusio sit. Conjuges non sunt æquales in actu conjugali, nec in domestica dispensatione, si de æqualitate quantitatis loquamur, sunt tamen in utroque pares, loquendo de proportionis æqualitate. Conclusio est *D.Th.4.d.32.q.1.ar.3. corp.* quem omnes sequuntur. Constat prior pars, quia in actu conjugali vir nobiliores partes agit, est enim agens, uxor vero patiens: in dispensatione etiam domestica vir est caput, gubernatque, mulier autem gubernatur. Posterior etiam pars constat: quia sunt pares in petendo & reddendo debitum, ut constat ex 1. *ad Cor.7.* ubi *D.Paulus* æque dixit, nec virum habere sui corporis potestatem, nec uxorem sui. Item, quia sicut tenetur vir in actu conjugali & domestica dispensatione ad ea, quæ viro propria sunt, ita uxor ad propria uxoris munia.

2 Secunda conclusio. Petitio debiti proprie loquendo de petitione, nunquam est sub præcepto. Dixi, proprie loquendo de petitione: quia (ut dicam n.6.) aliquando altero conjuge minime petente tenetur alter ob periculum incontinentiæ prævenire: verum id non est proprie petere, sed quodammodo reddere. Conclusio est *Ricardi 4.d.32.ar.1.q.2.& omnium.* Probatur, quia nullus tenetur uti jure suo, quod pro se tantum introductum est, sed potest illo cedere, *c.Ad Apostolicam, de reg. c.Si de terra de privil.* ibi: *Cum liberum sit unicuique suo juri renunciare.* Nec tenetur quisquam nondum exactus, id debitum creditori offerre, quod ejus naturæ est, ut non debeatur nisi exactum: hujusmodi autem est debitum conjugale.

3 Tertia conclusio. Reddere tenetur conjux conjugi, sive expresse, sive tacite, seu interpretative petenti. Nil enim refert qualiter voluntas exprimatur, verbis, factisve, *l.De quibus ff. de legibus.* Conclusio est *D.Th. 4. d.32. quæst.unic.1.* & a nemine negatur. Constat, quia reddere unicuique quod suum est, lex justitiæ præcipit, at corpus viri est uxoris: & e contra, teste *D.Paulo 1.ad Cor.7.*

4 Censetur autem uxor tacite & interpretative petere debitum a viro, dum vir aliquibus signis percipit in ea voluntatem petendi, & præ pudore abstinere a petitione. Cum enim mulieres verecundæ sint, nec soleant verbis expressis petere, sufficiens signum est tacitæ petitionis. Ita docent *D.Th.4.d.32.quæst.unic.1.corpore Ricard. ibi, ar.1.q.2.corp.& ad 1. Majoris 4.d.31.quæst.unic.2.& ibi Suppl. Gabr.q.1.ar.2.post 4. concl.& d.32.quæst.ar.3.dub.2.* ubi *Gulliel. Borrillong.q.1.ar.3.dub.1. Henric. c.Inquisitioni, n.14. de sent. excom. Turrecr. c.Sciatis 33.q.4.ar.2.n.4. Anchona*, quem refert & sequitur *D.Antonin. 3.p.tit.1.c.40.§.7. Roselli v. Debitum, n.5.* ubi *Angelus n.16. Sylv. q.8. Tab. v.Impedim.imped.2. qu.3. Armill. v.Matr. nu.55. Viguer. Instit. c.16.§.7. vers.10. Nav. sum. c.16. hispane n.25. Latine n.26. Lad. 2.p.4. qu.55. ar.1. ad fin. Ant. Cucus 15. inst. maj. t.12. n.21. Cord. summ. q.136. punct.2. Angles florib. 1.p. de matr. q.9. de obligatione solvendi debitum, ar.1.diffic.4. concl.4. Palacios 4.d.32.disp.2. fol.716. vers.Neque onerosus Bart. a Lad. d.32. de matr. §. Sed jam quod matr. Petr. de Lad. de matr. q.53. ar.1. dubiolo 1. quod movet post 2. dubium principale, Lad. Lop. 1.p. instruct. c.80. §. Ut autem reliqua.* Imo satis est hoc ex mulieris nativa conditione nosse, cum scilicet vir attenta mulieris conditione conjicit fore, ut appetat copulam. Ita *Anchona, D.Anton. Rosel. Syl. Nav. Lad. Ant. Cucus, Lud. Lop. ibid.*

5 Dubitabis forsan, an idem dicendum sit de uxore erga virum? Cum enim quoad petitionem & redditionem debiti pares sint, qua ratione dicitur teneri virum reddere uxori in prædicto casu, & eam esse tacitam petitionem uxoris: censendum erit idem de uxore respectu viri. Sed dic regulariter licitum esse uxori expectare petitionem expressam viri; non quia non pares sint, sed quia cum viros miniæ pudeat verbis expressis debitum exigere, dum id appetunt, merito ac jure optimo potest mulier præsumere, sibique persuadere viros expresse non petentes, nequaquam velle, & signa illa quæ in mulieribus, natura verecundis, tacitam & interpretativam voluntatem indicant, in ipsis viris minime indicare. Ita docent *Sotus 3. d.33. qu.un. art.2. vers.At vero duplex, Palacios ead. d.32. disp.1. f.703. vers. Scito tamen*, & non esse simile in uxore docent etiam *Astensis sum. p.2. l.8. tit.10. ar.1. q.6. Jo. Friburgo sum. confess. l.4. tit.2. qu.40.* Idemque clare significant *D.Th. 4. d.32. q.un. ar.3. ad 2. & ibi Palud. q.1. ar.1. n.4. Henr. c.Inquisitioni, nu.14. de sent. excom. Syl. v.Debitum, qu.8. Tab. matrim.3. qu.4. §.5.* ubi ajunt ratione erubescentiæ, quæ communiter inveniatur in feminis, non autem in viris, non ita teneri uxorem reddere viro expresse petenti; sicut e contra. Si tamen daretur idem pudor exigendi debitum aut timor in viro, idem prorsus dicendum esset, nempe teneri uxorem ipsi reddere quando nosset ejus voluntatem petendi, & præ pudore, aut ob pusillanimitatem, aut ob insignem uxoris authoritatem, aut asperam conditionem, minime petere. Quia eadem militat ratio, cum sint conjuges in actus conjugalis obligatione pares. Quod non obscure indicant omnes authores citati, qui fere omnes docent, non absolute non teneri uxorem reddere debitum viro interpretative petenti, sed non ita teneri, sicut virum uxori: & qui absolute docent non teneri, eo fundamento innituntur, quod is pudor exigendi non sit in viris: quare contrarium diceremus existente eodem pudore. Et ita in propriis terminis docent *D.Ant. 3.p. tit.1. c.20.§.7. Sylv. matr.7. q.4. diff.10. Nav. sum. c.16. disp. n.25. latine n.26. Manuel 1.t. sum. in 2.edit. c.243. nu.8. Lud. Lop. 1.p. instruct. cap.80. §.Id ipsum.* Quia tamen hoc rarissime accidet, regulariter non tenetur uxor reddere viro non expresse petenti, nisi evidenter ipsi constaret de prædicto timore, ac pudore viri ad debitum exigendum.

6 Adde dictis, tempus quo tenetur alteruter conjux alteri reddere debitum, non tantum esse, quando exigitur, sed etiam quando ex aliquibus signis in ipso coniicit incontinentiæ periculum. Probatur primo, quia hoc est reddere moraliter, quamvis metaphysice sit petere: sicut dum aliquis inimicum, qui habet ipsum inclusum ad eum occidendum, prævenit ipsum interficiens, metaphysice est aggressio, moraliter autem defensio. Secundo, quia matrim. post naturæ lapsum institutum est in concupiscentiæ remedium: ergo ubi alter hoc remedio indiget, licet non petat, tenetur conjux alter offerre: sicut medicus ægroto, cui medetur, tenetur adhibere medicinam quam ei salubrem fore sperat, quamvis non petat. Tertio, quia ad bonum fidei spectat non tantum reddere debitum, sed etiam abstinere ab alio concubitu: ergo ubi periculum est incontinentiæ in altero, ad fidelitatem quam ipsi mutuo conjuges debent, pertinet subvenire petendo debitum, ut vel sic ardor & illa prava libido, impellens illum ad licitam venerem, frigescat. Tandem quia quicumque proximus tenetur lege saltem charitatis opem ferre proximo, periculo ruinæ spiritualis exposito, si commode potest; nedum ipsimet conjuges, qui tam arcto amoris & amicitiæ vinculo vincti sunt, tenebuntur sibi mutuo subvenire, dum patiuntur idem periculum, cum commode possint offerendo debitum conjugale. Ita tenent *D.Thom. 4. d.32.q.un. ar.2. quæstiunc.1. ad 1. Præpositus c.Rurjus, n.6. int. qui clerici, vel vovent. Supplementum Gabrielis 4. d.31. qu.un. art.2. post 4. concl. & d.32. qu.un. art.3. dub.2. Astensis summ. 2.p. l.8. tit.10. ar.1. q.5. Turrecrem. c.Sciatis 33. qu.4. ar.2. ad 1. Adrianus 4. materia de Eucharistia, q.Restat jam videre, an propter immunditiam, in solutione ad 2.rationem, Sotus 4. d.31. qu.un. art.4. concl.1. fine: & d.32. qu.un. art.2. paulo post principium. Petrus de Soto loc. 14. de matr. ad finem. Angles florib. 1.p. de matr. qu.6. de obligatione solvendi debitum, ar.1. diffic.4. concl.4. Margarita confessorum 6. præcepto, f.88. Vival. candel. 1.p. de matr. num.257. Palacios 3. d.32. disp.1. fol.703. vers. Scito tamen & fol.707. vers. Secundum est, & disp.1. fol.716. Veruntamen casus, Enriq. l.11. de matr. c.15. n.9. & l.12. c.2. n.9. Petr. de Lad. de matr. q.49. ar.5. dub.1. concl.2.* Et omnes hi Doctores manifeste loquuntur, quamvis conjux incontinentiæ periculo expositus, nullo fine petat: tunc enim quamvis nullum esset incontinentiæ periculum, teneretur alter reddere, atque ita nil tribuerent huic periculo. Quod expresse dixerunt *Sotus 4. d.31 qu.un. ar.4. concl.1. fin. & Palac. 4. d.32. disp.1. f.703. vers. Scito tamen*, dicentes non opus esse in eo periculo virum formaliter petere, sed satis esse si uxor periculum ejus norit. Tunc enim interpretari debet illum exigere. Et adverte in hoc eventu, eodem modo loqui Sotum, & Palacios de viro respectu uxoris, ac de uxore respectu viri; licet secluso incontinentiæ periculo, diversum sit, quando vir non expresse petit, ut dixi nu. præcedenti. Et merito in hoc casu idem sentiendum est. Quia hæc obligatio reddendi non consurgit ex signo aliquo, quo tacite significetur petitio, non aliter expressio propter erubescentiam: tunc enim cum similis erubescentia non sit in viro, ac est in mulieribus, diversum in illis censendum est:

est: sed oritur ex periculo incontinentiæ, cui alter conjux ob matr. fidem & institutionem, tenetur occurrere offerendo debitum conjugale: id autem periculum æquale est in utroque conjuge. Id tamen libenter fatebor, uxorem verecundam, quam valde puderet, dedeceretque expresse petere, non teneri in hoc eventu ad id, sed solis signis, quibus uxores petere solent, uri, & se viris offerre. Intellige autem teneri conjuges sibi mutuo reddere existente hoc incontinentiæ periculo, ubi spes esset fore, ut tali copula cesseret periculum. Cum enim obligatio hæc non consurgat ex vera alterius conjugis petitione, sed ex interpretativa & præsumpta, quæ vult sibi mederi, matr. in concupiscentiæ remedium instituto, & ex obligatione debita ratione fidei matr. ad præservandum alterum a ruina carnis, ubi spes abesset cessationis ejus ruinæ, & vitationis periculi, cesseret utique talis obligatio. Atque ita *Palacios 4. d.32. disp.1. fol.707. col.1. vers. Secundum est. Angles, & Petrus de Lad. proxime citati* explicarunt hanc obligationem tunc consurgere, quando conjux petens probabiliter crederet fore, ut petendo vitaret in altero periculum incontinentiæ. In dubio autem an proderit, necne, credo eamdem petendi adesse obligationem. Quia quamvis sub judice sit, an præceptum correctionis fraternæ obliget, ubi dubia est spes emendæ: at in hoc eventu non solum obligat lex charitatis, a qua præceptum correctionis originem ducit: sed aliqualiter lex etiam justitiæ, ut dicemus n. seq. Præterea, quia hæc petitio nullatenus nocere potest, & prodest plurimum, quia ardorem libidinis saltem temperat, si non prorsus extinguat.

7 Utrum autem obligatio sit reddendi debitum conjugi, quando nec verbis nec signis petit, sed incontinentiæ periculum patitur, cui copula conjugali subveniretur, non facile est judicare. Et quidem rationes adductæ n. præcedenti obligationem hanc esse justitiæ manifeste persuadent: sunt enim ex ipsa matr. institutione petitæ, probantque eam vere esse redditionem: atque ita *Petrus de Soto ibi citatus* dicit esse veram redditionem debiti. Præterea, quia omnes fatentur illo: cum tamen multi negent licere ad vitandum in seipso: ducunturque eo quod ad vitandum in altero adulterium fit actus justitiæ & quædam redditio. Ut dicemus hoc l. disp.9. n.1. Tandem, quia voto castitatis conjux astrictus quamvis petere minime possit, at id potest ubi in altero conjuge sentit incontinentiæ periculum: ut dicemus hoc lib. disp.7. n.5. quia id non est vere petere, sed redditere. Et in propriis terminis hanc esse obligationem justitiæ docet *Petr. de Lad. de matr. q.49. ar.5. dub.2. concl.2.* & aperte colligitur ex DD. n.præc. allegatis. Credo tamen non esse vere & proprie obligationem ex lege justitiæ, sed ex lege charitatis, & aliquo modo large loquendo esse obligationem ex justitia, prout reddere respicit bonum fidei, ad quod etiam pertinet ut neuter conjux aliam copulam requirat. Et ita expresse docet *Palud. 4.d.31.ar.3.n.14.* quod non obscure significavit *Sotus q. d.32. qu.un. art.2. paulo post princ.* appellans hanc non simpliciter & absolute, sed quodammodo redditionem. Idemque docet *Durand. 4. d.31. q.4. n.6.* ubi dicit non esse debiti redditionem, accessum ad conjugem nec verbis nec signis petentem gratia vitandæ in ipso fornicationis. Nec rationes oppositæ probant amplius quam obligationem hanc non esse ex solo charitatis debito, sed aliquo modo saltem large spectare ad justitiam, & esse tunc quodammodo reddere. Duo ad reddendum alicui quod suum est, nil refert fit illi prout futurum nec ne: quare dum conjux expresse vel tacite petit, reddendum est ei semper, esto illi non prosit ad motus carnis sedandos: at in hoc eventu nulla est obligatio cessante spe profectus: ut dixi n. præc. ergo ea obligatio non est vere & proprie ex justitia. Insuper, quia obligatio reddendi ex vera lege justitiæ oritur ex voluntate verbis aut signis explicita alterius conjugis petentis rem suam at in hoc casu (ut supponimus) nec verbis nec signis petit, imo tenetur alteri illi copulam conjugalem offerre, quamvis norit suum conjugem illam non appetere, sed alienam, si tamen credat fore, ut vel sic illum appetitum venereum extinguat, ergo hæc obligatio non oritur ex vera justitiæ lege.

8 IV. Conclusio. Jus ad petendum obligatioque ad reddendum debitum, sunt passiones quæ necessario sequuntur ex natura ipsa matr. seu vinculi conjugalis. Constat ex dictis l.5. disp.10. a n.1. usque ad 5. ubi probavi non posse valide iniri matr. si in pactum deducatur ne liceat conjugibus petere, aut ne teneantur reddere. Præterea, quia vinculum conjugale suapte natura eo tendit, ut proles generetur, speciesque conservetur, quod obtineri nequit absque jure petendi, & obligatione reddendi. Sicut enim in executione minime potest esse ipsi proles absque actuali copula, ita neque in vinculo conjugali potest esse ordo efficax ad talem generationem sine jure petendi, obligationeque reddendi. Insuper, quia matr. transfert dominium mutuum corporum conjugum; ex dominio autem consurgit jus utendi re sua, & obligatio ipsam reddendi domino petenti. Tandem idem constat ex secundario matr. fine. Cum enim sit in concupiscentiæ remedium, inefficax & minus sufficiens esset, absque jure petendi, obligationeque reddendi. Et ideo conclusio hæc a nemine negatur: Semel tamen constituto matr. possunt jus in hoc & obligatio cessare: ut si mutuo consensu voveant conjuges castitatem: vel si contrahant affinitatem. Quia solum in fieri, non autem in conservari ab his passionibus matr. pendet.

Ultima conclusio sit. Conjuges tenentur sub culpa lethali 9
sibi mutuo reddere debitum, sive alteruter expresse, sive tacite & interpretative petat. Conclusio est omnium: & constat, quia obligatio hæc est ex justitiæ lege, ut probavi n.3. nec materia est levis.

Est autem accipienda conclusio, regulariter. Nam non 10
semper conjux ita exacte petit debitum, ut protinus velit obligare ad culpam lethalem, sed sæpe alliciendo & movendo, & non tanquam debitum ex justitia, sed tanquam amicitiæ quoddam conjugale symbolum: & tunc non est mortale negare debitum. Quia cum solum debeatur ob alterius conjugis petitionem, ubi hæc non est tanquam debiti ex justitia, cessat injustitiæ crimen, & subinde culpa lethalis. Ita *Sotus 4. d.32. q.un. ar.1. post concl.* ubi *Palacios disp.1. f.703. vers. Ceterum, Bart. a Lad. dub.71. de matrim. paulo post princ. Enriq. l.11. de matr. c.15. n.7. fin. Manuel 1.t. sum. 2.edit. c.243. n.1. Lud. Lop. 1.inst. c.80. in princ. Capua 1.p. decis. l.2. c.83. n.1. Emm. Sa sum. v.Debitum conjugale, §.penult.* Crebro etiam nec veniale esset tunc negare. Quia in aliis humanis debitis ita contingit: creditor enim pecuniam sibi debitam non semper ea tenacitate & rigore petit, ut sit peccatum non reddere. Sic *Sotus, Palacios, Bart. a Lad Capua ibidem.* Hæc autem intellige, nisi sit periculum incontinentiæ in conjuge petente. Tunc enim esset mortale negare ratione periculi probabilis ruinæ, cui ex fide mattim. tenebatur alter subvenire ut diximus n.6. Sic *Emm. Sa ibidem.*

Et sicut in aliis præceptis etiam justitiæ datur parvitas 11
materiæ, quæ a culpa lethali excuset: ita etiam in hoc. Ut si conjux exigenti neget raro debitum absque periculo incontinentiæ exigentis. V. gr. solet vir petere quater in mense, & petat iterum, non erit mortale uxorem ea quinta vice negare sine periculo incontinentiæ: levis enim res censetur, semel vel iterum negare, ut sit culpa lethalis. Sic *Lad. 2.p.4. q.66. art.1. dub.2.* Similiter levis materia censebitur, quando non statim redditur debitum, sed per aliquod breve tempus differtur, cessante incontinentiæ periculo in petente. Sic *Victoria summ. de matr. n.275. Lad. eod. dub.2.* qui bene exemplificat, ut si conjux neget mane debitum, redditurus nocte. Si autem conjux exigens pateretur pollutionem involuntariam, vel incideret in morbum, nisi statim sibi debitum redderetur: videtur res gravis, culpamque lethalem constituens, non statim reddere. Sic *Vivaldus candelabro 1.p. de matr. num.257.* Verum de morbo id fateor, quando id esset alicujus momenti. De periculo autem pollutionis involuntariæ, ubi abesset consensus periculum (quod accideret quando ea esset in somnis, & aliquando etiam in vigilia, sed hoc raro, ob vehementem delectationem, & carnis fragilitatem) id non admitto, Quia (ut dicemus hoc l.6. disp.45. cap.15.) non tanta est obligatio vitandi pollutionem involuntariam, ubi non procuratur, nec datur causa moralis ipsius.

Insuper quando conjux nimius esset in petendo, rationis- 12
que limites excederet, non semper teneretur alter reddere, sed moderate. Quia in omnibus rebus debet modus adhiberi: & in hac maxime. Quia vir reddendo debitum, fit in dies impotentior: sperma enim amplius emissum deficcat, facitque homines cito senescere: authore *Aristotele de longitudine, & brevitate vitæ, c.fin.* Quamvis in femina minus periculum fit. Ita docent *Sotus 4. d.32. q.un. art.1. post 2. concl. Enriq. l.11. de matrim.15. n.7. fin. Lud. Lop. 1.p. instr. c.80. paulo post princ. Manuel 1.t. summ. 2.edit. c.243. n.1. Capua 1.p. decis. l.2. c.83. n.4. Emm. Sa summ. v. Debitum conjugali, §. penult.* Qui bene hoc temperat, cum *Ludov. Lop. eo c.80. §.Igitur resolutoria*, nisi petenti periculum incontinentiæ imminneret. Quod adhuc intelligendum puto, nisi ex tali frequentia damnum notabile salutis corporeæ, reddenti, immineret: in eo enim eventu aliter esset consulendum periculo illi incontinentiæ. Ut dicemus hoc lib.9. disp.24.n.12. ubi dicemus cum hoc damno licitum esse, sed non obligatorium reddere. Et ibi num.6. dicam quando sit mortalis hæc frequentia.

Præterea quando conjux remisse petit debitum, vel roga- 13
tus cedit facile jure suo, non est mortale negare. Constat in aliis debitis civilibus, quæ remisse petita, aut facile a creditore concessa dilatione, non est lethale crimen denegare. Sic *Angles flor. 1.p. de matr. q.6. de obligatione solvendi debitum ar.1. init. concl.3. Lud. Lop. 1.p. inst. c.80. paulo post prin. Cajetanus sum. sacr. de matr. c.8. n.72.* Et non esse mortale, quando conjux petens solis precibus advertitur: altra prædictos authores docent etiam *Sylv. v.Debitum qu.8. Nav. statim allegat. Margarita conf.6. præcepto, f.89. Capua p.1. decis. l.3. §3. n.1. Phil. de offic. sacerd. t.1. p.2. l.4. c.16. paulo post princ.* Non debet autem conjux petens averti, nisi ex causa, propter periculum incontinentiæ, nec preces debent esse valde importunæ: ne involuntarie & quasi coacte cedat. Ita *D.Th. 4. d.32. q.un. ar.1. q.1. ad 4. l.4.t.2.q.41. D.Ant. 3.p. t.1. cap.20. §.7. Sylv. Margarita Phil. proxime citati, Tab. matr.3. qu.4. §.5. Turrecr. c.Sciatis 33. 4. n.7. Nav. sum. c.16. Hispane, n.24. Lat. n.25. Lud. Lop. 1.p. inst. c.78. §.Peccat etiam: Capua d. c.83. n.1.*

14 Esset autem lethale scelus rarissime, & magna cum difficultate reddere. Quia notabiliter conjuges debito conjugali de fraudarentur, præque incontinentiæ periculum paterentur, nec ob magnam alterius difficultatem auderent petere. Ita *Sotus*, *Bart. a Led. Manuel.* ubi n.10. eos allegavi, *Capua p.1. dec. l.2. c.83. n.7 Lud. Lop. 1.p. instr. c.80. §.Igitur resolutorie.*

15 Pariter esset mortale negare debitum, quando justa sufficiensque causa denegandi abesset, & inde conjux petens scandalizaretur, graveque discordiæ orirentur. Sic *D. Ant. 3.p. tit.1.c.20. §.7. Rosel. v.Debitum, n.5. & ibi Ang. num.17. Lud. Lop. 2.p. inst. c.80. §.Igitur resolutorie.* Addunt bene *D. Ant. Rosel.* minime excusari tunc conjugem negantem debitum, eo quod dies solemnis sit, aut Eucharistiam sit recepturus: quamvis laudabile sit precibus non importunis hac occasione avertere.

16 Tandem si conjuge se excusante, quando causa non excusaret prorsus a redditione debiti, (sed quibus causis excusantibus constabit in disp. seq.) alter conjux valde instaret petens, esset mortale non reddere. Quia injuste negatur sibi debitum ita instanter exactum. Sic *D.Ant. 3.p. tit.1. c.20. §.7. Vivald. candelabro 1.p. de matr. n.257.*

DISPUTATIO III.

An peccet lethaliter conjux se impotentem reddens ad debitum conjugale persolvendum?

SUMMARIUM.

Refertur quædam opinio, n.1. Et ibi non peccat conjux se reddens impotentem ex actu copulæ præcedentis. Peccat mortaliter se reddens impotentem mediis illicitis, n.2.

Vir crebro accedens ad feminam; vel se polluens, ultra peccatum adulterii, tenetur fateri se reddere impotentem, 3.

Quid, si mediis licitis se reddat impotentem, ut abstinentiis, 4.

Quid, si abstinentiæ sint moderatæ, licet illis reddatur minus potens, n.5. & ibi, an sint consulendæ uxori abstinentiæ, quibus deformior reddatur.

An teneatur vir uti calidis, & mediis aliquibus, quo potentior reddatur, 6.

An vir possit immoderatas abstinentias vovere absque uxoris consensu; & pares sint in hoc conjuges ut neuter possit vovere abstinentias, 7.

An votum magnæ abstinentiæ impedientis debiti redditionem, aut longæ peregrinationis viri, sit ipso jure irritum: vel valeat, donec irritetur: nu.8. & ibi, remissive, an uxor possit irritare.

An possit alter sine alterius conjugis licentia habitum mutare, 9.

An vir excusetur a jejunio obligatorio, si reddatur impotens ad debitum, vel minus potens, ut fiat potentior, vel si accideret casus, quo esset periculum incontinentiæ, nisi statim redderetur; & an est necessarium solvere jejunium, 10.

An ne uxor reddatur deformis, viroque displiceat, possit jejunium solvere, 11.

An mulier, quæ nubere optat, possit solvere jejunium, quo deformis redditur, 12.

An uxor excusetur a præcepto jejunii, si vir ei præcipiat ne jejunet, 13.

1 SAtis obscure in hac re locutus est *D.Th. 4.d.32. q.un. ar.1. ad 3.* ubi tria dicit. 1. dicit, si ex copula præcedenti cum uxore vir reddatur impotens ad iterum solvendum, uxor non habet jus petendi. Et hoc quidem manifestum est. Quod impossibilium nulla est obligatio. *Regula impossibilium ff. de reg. jur.* Qua ratione idem absque dubio dicendum est, etiamsi ex causa illicita consurgat illa impotentia: potuit enim vix peccare reddendo se impotentem, at ubi impotens effectus est, immunis est culpæ non reddens. 2. dicit, si ex alia causa fiat impotens, & illa est licita, non tenetur reddere, nec uxor jus petendi habet. Idem docent *Henric. c.Discretionem, n.7. de eo, qui duxit consanguineam. Astensis 2.p. summ. l.8. tit.10. art.1. q.3. Tabien. Matrim.3. q.4. §.5. Turrecr. c.Sciatis, 33. qu.4. art.1. n.2. Viguerius lib. inst. c.16. §.7. vers.10. Bart. a Ledes. de matrim. dub.71. concl.2.* Quod si ut sonat, intelligatur, manifestum est. Quare credo *D.Th.* & sequaces velle dicere minime delinquere virum ea causa reddendo se impotentem. Quia de culpa erat sermo: & constat, quia immediate dicunt peccare, quando causa est illicita. 3. dicit, si causa impotentiæ est illicita, reus est culpæ vir sic se reddens impotentem. Idem docent *Astens. Henric. Tabien. Turrecr. Viguer.* proxime citati, *Jo. de Friburg. sum. confess. l.4. tit.2. q.36. D.Ant. 3.p. tit.1. c.20. §.10. Sotus 4. d.32. quun. ar.1. fin.* Non tamen explicant, sit ea culpa lethalis, nec ne.

2 Sit tamen 1. Conclusio. Conjux scienter reddens se impotentem mediis illicitis ad debitum conjugale persolvendum, lethaliter peccat. Quia eadem justitiæ lex, finem præcipiens redditionis debiti, obligat subinde, ne quis mediis illicitis se reddat impotentem: sicut reus esset culpæ mortalis scienter se faciens impotentem ad alia debita civilia solvenda. Sic videntur sentire *D.Th. & reliqui citati n.præc. in 3.dict.* quamvis non explicuerint an culpa sit mortalis. Sed id explicant *Ricard.3. d.32. ar.1. q.1. ad 2. Rosel. v.Debitum n.2.* ubi *Angel. n.6. Sylv. qu.1. vers. Prima est. Armill. n.2. Alen. in suo Enchirid. 2.p. tr. de 6. præcepto, ad fin.* § *Si vir modo illicito. Capua 1.p. decis. l.2. cap.83. n.2. Bart. a Led. de matr. dub.71. concl.2. Can. sum. Sacr. de matr. c.8. n.71.*

Hinc infertur, virum crebro se polluentem, aut ad alias feminas accedentem, 3
si advertat se inde reddi notabiliter impotentem ad satisfaciendum moderate uxori, ultra crimen pollutionis aut adulterii, admittere peculiarem culpam aliam adversus legem justitiæ, qua tenetur aptum se debito conjugali reddendo præservare. Constat ex dictis n. præced. Quia medio illicito se impotentem reddit. Quare circumstantia hæc detegenda est in confessione.

II. Conclusio. Quamvis media, quibus conjux efficitur notabiliter impotens, sint alia licita, ut sunt immoderata jejunia, 4
aut vigiliæ indiscretæ, si id advertat, peccat. Constat ex eadem ratione. Insuper, quia quando aliquid prohibetur, interdicitur similiter omne id per quod perveniatur ad illud, *l.Oratio, ff. de sponsalib.* Cum ergo vivo prohibeatur debiti negatio, similiter interdicitur nimius excessus in vigiliis & abstinentiis, per quæ vir cogitur debitum negare. Sic docent *Palud.4. d.32.q.1. ar. 2. n.8. D.Ant. 3.p. tit.1. c.20. §.10. Ricar. Resol. Ang. allegati n.2.* & cum materia sit gravis, ad justitiamque pertinens, hæc culpa lethalis erit. Ut bene docent *Abul. cap.6. Matt. q.149. Sylv. Capua Cannedo n.2. relati.*

III. Conclusio. Conjux se extenuans & debilitans absque fraude & bona fide, mediis honestis, ut servans Ecclesiæ jejunia, 5
& alia moderata ex devotione, impendensque moderate tempus honestis studiis, vacat a culpa. Quia sic non efficietur impotens, sed minus potens, nec tenetur cum spirituali jactura a spiritualibus operibus abstinere, ut se potentiorem & robustiorem conservet, sicut nec tenetur desistere ob eam causam a cetteris corporalibus exercitiis. Ita *D.Th.* & reliqui quos retuli nu.1. dict.2. ubi eos explicui, *Ric.4. d.32. ar.1. q.1. ad 1. Suppl. Gabriea d.31. q.un. ar.3. dub.1. & ibi Sotus q.1. ar.1. fin. Fribur. sum. confess. l.4. tit.2. q.36. Rosella v.Debitum n.2.* ubi *Ang. n.5. Sylv. q.1. vers. Prima est, Alex. in suo enchir. d.2. p. tr. d.6. præcepto, ad fin.* § *Secus si per jejunia.* Quando autem abstinentiæ & vigiliæ censeantur limites prudentiæ excedere, atque immoderata esse, pensandum est, attenta viri conditione, alii enim aliis robustiores sunt, & attenta uxoris conditione: quædam enim parcæ sunt: aliæ vero Venerem frequenter appetunt. Denique id pro regula servandum est, ut vir eas vires conservet, non extenuans eas abstinentiis & vigiliis, quibus indiget ad moderate reddendum uxori attenta ejus conditione, & ne eam incontinentiæ periculo exponat. Similiter etiam non licet uxoribus ita se abstinentiis & vigiliis dedere, ut deformes ac viris exosæ reddantur. Quia ipsis ansam præbent, turpes alios amores quærendi *Sotus ibi.* Quare merito *D.Ant. Syl. Capua, n.4. allegati, Arm. v. Debitum, n.2.* docent eas abstinentias minime uxoribus consulendas esse.

Quarta conclusio. Non tenetur mari tus uti calidis, ut potens 6
ad copulam efficiatur, sed suæ obligationi satisfacit, si se impotentem minime reddat. Quia ex matr. tantum ipsum astringit, ut moderate attentis suis viribus reddat, & ne huic obligationi obstaculo sit nimiis vigiliis & abstinentiis: non ergo tenetur mediis aliquibus uti, ut potentior efficiatur. Ita sentiunt *Palud. 4. d.32. q.1. ar.2. n.8. D.Ant. Sylv. Capua, n.4. allegati. Tabien. matr.3. q.4. §.5. Viguer. Institt. c.16. §.7. vers.10.* Hoc tamen intelligo verum, si de justitiæ rigore & lege loquamur: aliquando enim lege charitatis ad id tenebitur vir: nempe dum sine corporeæ salutis notabili detrimento id potest efficere, & uxor grave incontinentiæ periculum patitur, nisi frequentius sibi conjugali copula subveniatur. Lex enim charitatis quoscumque obligat, nedum conjuges ad consulendum necessitati spirituali proximi, ubi commode & absque notabili proprio periculo subvenirii potest.

Ex dictis infertur virum absque uxoris consensu minime vovere posse abstinentias, vigilias, preces, quæ debito conjugali moderate reddendo obstent: 7
sicut nec uxor inconsulto viro eadem promittere potest. Quia neuter conjux potestatem sui corporis habet quoad debitum conjugale persolvendum. Ita docent *gl.c. Manifestum v.Nisi auctor, 33.q. ubi Archid. n.un. Turr. n.1. Hostiens. t.De voto.* § *Quis vovere possit, n.8. Inn. c.Scripturas ad fin. de voto:* ubi *Jo.And. n.4. Ant. n.4. fin. Card. qu.14. Anch. n.13. Abb. n.8. Henr. n.6. Palud.4. d.38. q.3. ar.1. concl.6. n.10. D.Ant.3.p.t.1. c.22. init. Abul. c.5. Matt.q.149. l.8. t.8. p.1. Greg. Lop. l.3. to.1. t.3. c.1. v.Elmarido & v.Nin la muger Rosella Votum 2. n.3. Ang. Votum 2. n.8. Sylv. Votum 5. q.1. Nav. sum. c.12. n.61. Stunica q.3. de voto, n.32. Philiar. de offic. Sacer. t.1. p.2. l.3. c.18. §.11. Manuel 2 t. sum. c.90. n.9.* Quamvis autem aliqui ex his DD. ut *Inn. Card. Ant. Anchor. Angel. Syl. Nav.* censere videantur pares in hoc esse virum & uxorem, dicunt enim neutrum sine alterius consensu vovere posse abstinentias hujusmodi: imo id clare docent *Ang. Syl. & Nav.* At multo verius est non esse omnino pares, participantur quippe in hoc, quod neuter altero invito potest in præjudicium debiti conjugalis aliquid vovere: eo quod quantum ad debitum conjugale sunt æquales. Quia tamen vir est caput mulieris *1.Cor.11. & c.Cum caput 33.q.5.* potest vir inconsulta, & renitente uxore ea vota abstinentiæ emittere, quæ debito conjugali persolvendo minime nocent: uxor autem tamquam subdita nullum abstinentiæ votum potest, dissentiente viro, facere. Quod bene docent *gl.d. c.Manifestum, v. Nisi auctor, & ibi Gratiam. v.Ex præmissis Archid. n.un. Host. sum. t. de voto,* §. *Quis vovere possit,*

n.8. vers. Uxor etiam Abb. c.Charissimus n.4 de convers. conjug. & c.Scripturæ n.7. de voto ubi *Henr. n.6. Palud.4. d.33 q.3. ar.1. concl.6. n.10. Rosella Votum 2. n.8. & 10. Abul. c.30. Nu. q.84. Greg. Lop. l.3. v.Nin la muger, n.8. p.1.* Quod amplius constabit ex iis quæ dicemus hoc lib. disp.39. n.4. ubi probavimus virum posse irritare omnia uxoris propriæ vota: cum tamen tantum absit ut uxor id possit, ut sub judice sit an possit aliquod irritare.

8 Rogabis autem utrum vota abstinentiæ aut longæ peregrinationis conjugum sint ipso jure irrita: an potius valida donec irritentur. *Sotus l.7. de just. q.3. art.1. vers. An vero possit, Manuel. 2.t. sum. c.90. n.7.* sentiunt votum longæ peregrinationis emissum a viro absque legitima causa, esse irritum, ac proinde nulla irritatione indigere: additque *Sotus* culpam admittere virum sic voventem. Et potest probari, quia vovet rem sibi prohibitam, & in alterius conjugis præjudicium: ut si voveret se minime redditurum debitum. Quare juxta hos authores idem eadem ratione sentiendum est de voto magnæ abstinentiæ in præjudicium debiti conjugalis. Verum non placet, sed dicendum est id votum validum esse, minime tamen impleri posse, donec manifestatum uxori, ipsa approbet: quare nec vir absolute vovens peccabit, nisi expresse intenderet se obligare contra uxoris voluntatem: tunc enim peccaret, & votum esset irritum. Prob. quia similis est ratio de hoc voto, ac de illo quo religiosus se obligat ad rem sibi prohibitam, quam absque superioris beneplacito exequi nequit: quale esset votum peregrinandi: eum utrumque votum sit de re prohibita, exigentique alterius consensum: & eo accedente, licita, at id votum religiosi est validum, donec a superiore irritetur, licet impleri nequeat absque licentia ipsius, nec religiosus peccat sic absolute vovens: quia tacite inest talibus votis conditio hæc, si superior voti conscius consensum præstiterit. Ut hæc omnia tradunt communiter DD. in materia de voto: & præcipue *Cajet. 2.2. q.88. ar.8.* ergo idem dicendum est de prædicto mariti voto. Nec est simile de voto non reddendi debitum. Quia est omnino & directe contra fidem matr. & votum de re aliena præstanda Deo, quare nullum est: sicut si quis Deo promitteret rem alienam. Votum vero peregrinationis longæ vel nimiæ abstinentiæ non opponitur directe matrim. nec debito conjugali, sed est aliquod alterius conjugis gravamen, quare validum erit: licet integrum sit conjugi gravato dissentire. Et hanc differentiam clare significavit *Tab. Matr. 1. q.3. §.4. fin.* dicens quando vota non sunt directe contra matr. sed gravant, ut abstinentiæ & peregrinationis, non obligare altero conjuge dissentiente, secus consentiente. Ubi aperte sentit valida esse donec alter conjux dissentiat. Quod idem docent *Vincentius in Speculo doctrinali*, quod habetur *1.2. l.9. c.86. Raim.* quem refert & sequitur *Turrecr. c. Sun. quædam 17. q.1. nu.9. Angles florib. 2.p. q.un. de voto, ar.7. post 9. diffic. dub.3. concl.1.* Idemque videntur clare sentire *Nav. sum. c.12. nu.61. & Lud. Lop. 1.p. instr. c.46. §.mulier uxor*, ubi dicunt vota alterius conjugis præjudicantia alteri non obligare: subduntque ideo uxorem voventem absque viri licentia peregrinationem aut abstinentiam, non teneri implere, si vir repugnarit: ubi clare vota hæc valere sentiunt, & obligare, nisi vir revocet. Utrum autem uxor possit hæc viri vota irritare? dicemus posse, hoc l. disp.42. num.2.

9 Secundo infertur neutri conjugi absque alterius consensu licere habitum mutare, v.g. indui vestibus tertii ordinis D.Francisci, quia horrorem generat, ac subinde obligationi reddendi debitum nocet. Ita *Rosel. Votum 2. n.9. Sylv. votum 5. q.1. fin. Navar. sum. c.12. n.6.* Quare nec licebit viro vestibus cremitæ indui, absque uxoris consensu: nec similiter uxori vestibus mulierum, quas vulgo Beatas appellamus, quia vestes hujusmodi conjugatos dedecent, horrorisque in altero conjuge causa sunt.

10 Tertio infertur excusari a jejunio Ecclesiæ conjugem, qui aliter uxori suæ reddere debitum non potest. Qua sicut jejunium non impedit opera necessitatis, & subinde non obligat eum, qui jejunando munus suum obire nequit: ita nec opus obligationis, quale est hoc, eo vel maxime, quod non reddere est in præjudicium tertii. Insuper quia cum duo concurrant præcepta incompatibilia, alterum humanum abstinentiæ, alterum vero naturale divinum, ad justitiamque pertinens, reddendi debitum: hoc tanquam fortius prævalere debet. Ita docent *Caj. sum. v. Jejunium, c.3. de personis, quas obligat jejunium*, § *Excusantur infirmi; ad fin. & ibi Armil. n.4. Metina, c. de jejunio, q. de his qui ad jejunia tenentur, in 1. causa excusante, vers. Ad hanc causam. Nav. sum. c.21. Hisp. n.17. Lat. n.16. Lud. 2. p.4. q.17. ar.3. f.203. col.2.* § *Præterea in hoc ar. Angles flor. 1.p.q.6. de illis qui jejunare tenentur, diff.12. Valent. 2. 2. disp.9. q.2. punct.5.* § *Necessitas excusans. Bonm. Sa sum. vers. Jejunium*, § *Excusat a jejunio. Capua 1.p. dec. l.2. c.37. n.52. Phil. de offic. Sacer. t.1. p.2. l.3. c.25.* § *Causæ ob quas, in 2.causa. Cavendo sum. Sacr. de matr. c.8. n.71. in commento*, ubi bene addit in hoc eventu teneri virum non jejunare. Quia fortius est vinculum justitiæ, cui tenetur satisfacere. Nec admittendam credo moderationem *Lud. Lop. 2.p. instr. de jejun. c.111. ad fin.* ubi dicit tunc verum esse excusari ex hac causa virum a jejunio, quando nisi die illa jejunii, qua debitum signis petit uxor, vir reddat, patietur ipsa incontinentiæ periculum, aut ægre feret, aut suspicabitur virum amore alio turpi captum esse: secus si precibus & verbis blandis possit ipsam avertere. Ceterum hanc moderationem admitto, ut tunc non teneatur vir solvere jejunium: at potest utique solvere, nec tenetur ratione jejunii observandi avertere uxorem a debiti petitione, licet possit: licuti non tenetur faber dives ab opere fabrili quo ad sustentationem minime indiget, die jejunii cessare, quo jejunium servare possit. Intelligenda tamen hæc causa excusans a jejunio est, quando vir notabiliter redderetur impotens ad moderate reddendum, non enim excusabit si tantillum debilitetur. Jus enim habet ad hoc conjux: ut dixi n.5. Quare aberrant viri existimantes le a jejunio excusari, ut fortiores sint ad copulam maritalem. Nam ut dixi n.6.) non tenetur vir uti calidis, ut potentior fit ad copulam: ac proinde minus poterit jejunium ea de causa solvere. Quod intelligo, nisi uxori periculum incontinentiæ imminet, nisi vir ad copulam frequentiorem potentior efficiatur. Lex enim charitatis tunc obligans (ut dixi eo nu.6.) potentior est præcepto Ecclesiastico.

11 Quarto infertur excusari uxorem a jejunio ratione conservandi amorem mariti erga ipsam: ut jejunans nequit satis placere viro, a quo minus, quam par est, amatur, aut despicitur, quod pallida deformique reddatur. Quia est damnum notabile, estque valde necessarius, ad vitam conjugalem quiete traducendam, mutuus conjugum amor. Sic *Cajet. Armill. Nav. Angles, Philiarc. Emm. Sa in præc. relati Lud. 2. p.4. q.17. ar.2. dub.7. fol.201. col.3.*

12 Quinto infertur idem dicendum esse de femina nubere volenti, si enim jejunio deformis efficiatur, ita ut difficillius maltonubat, excusabitur a jejunio. Id enim notabile damnum censetur. Sic *Lud. Lop. 2.p. instr. de jejun. c.111. ad finem.*

13 Tandem dubitabis, An idem censendum sit, nempe uxorem a jejunio Ecclesiæ excusari ob viri præceptum solvere jubentis; Pars enim negativa suaderi videtur. Quia potius est Ecclesiæ obediendum, nec vir dominium habet in uxorem quoad præcepta Ecclesiæ, sicut habet quoad jejunia, ad quæ sua sponte vovendo se astrinxit. Sed dicendum est, ob solum præceptum viri minime excusari: ut clare probat ratio proposita. Verum si notabiles discordiæ oriantur inter ipsam & virum, nisi ipsi obtemperet: tunc aliqui dicunt posse solvere jejunium, saltem accedente proprii Sacerdotis dispensatione. Ita *Innoc. rubr. de observ. jejun. n.1. & ibi Abb. n.8. Sylv. v.Jejunium qu.9. d.8.* § *.25.* ubi *Tab. q.20.* § *21. Abul. c.6. Mart. qu.149. Capua, 1.p. dec. l.2. 37. n.53.* Addit *Abulensis*, si nondum obtenta dispensatione oriretur magnum viri scandalum, eam expectandam non esse. Quia charitas jejunio præferenda est: ut ait *D.Hier.* & haberur *c.Non mediocriter, de consecr. d.5.* Ceterum verius est, absolute fas esse uxori ea de causa jejunium solvere. Quia mutuus amor conjugum illi anteponendus est: ut proxime dixi ex *D. Hier.* Item, quia positiva præcepta non obligant cum scandalo, *c.Nihil cum scandalo, de præscr.* ita docent *Metina, c. de jejun. q. de his qui ad jejunia tenentur, in 1. causa excusante, vers. Ad eundem colum Nav. sum. c.21. Lat. n.19 Hisp. n.20. Lud.2. p.4. q.17. ar.3. f.202. col.2.* § *Præterea in hoc c. Viguer. 1 inst. c.7.* § *.3. vers. 2. fin. Angles florib. 1 p. de jejun. q.6. De illis, qui tenentur jejunare; diffic.12. Palacios 4. de 15. disp.8. post 4. concl. fol.120. vers. Denique si discordia, Lud. Lop. 2.p. inst. de jejun. c.111. ad fin. Philiar. de offic. Sacerd. t.1. p.2. l.3. c.25.* § *Quod jejunia*: qui bene hoc temperat cum *Palacios proxime citato*, nisi in contemptum jejunii Ecclesiastici id præciperet maritus. Tunc enim vita potius exponenda esset, quam jejunium omittendum.

DISPUTATIO IV.

An conjuges ad cohabitationem, & ad mutuo sibi præstanda alimenta teneantur?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones sint disputandæ, n.1.

Conjuges tenentur jure divino in eadem domo, mensa, & lecto esse, 2.

Hæc obligatio oritur ex matrimonii natura. Et an possit pacto tolli, 3.

An sit naturalis hæc viri & feminæ cohabitatio, 4.

An possint conjuges mutuo consensu esse separati, judexque id permittere debeat, 5.

An judex Ecclesiasticus possit cogere invocato sæculari auxilio ad cohabitandum, 6.

An possit uterque judex compellere ad cohabitandum, & reddendum debitum, 7.

An possit judex Ecclesiasticus procedere contra laicum detinentem uxorem alienam, 8.

An possint conjuges se mutuo vendicare, 9.

An possit filius agere contra patrem detinentem illius uxorem, 10.

An uxor teneatur sequi virum, & e contra. Valeatque contraria consuetudo aut pactum, n.11. remissive.

Utrum possint conjuges esse diutius separati. Et qualis mora sit diuturna; valeatque statutum, ut possint, n.12. & explicatur ibi c.1. de conjug. lepr.

An liceat viro peregre proficisci ratione alicujus negotii gerendi, 13.

Teneatune uxorem secum proficisci volentem deferre, n.14. & ibi explicatur c. Quod super, de voto.

An conjuges possint votum peregrinationis emittere. Et an sint in hoc pares. Et tale votum sit ipso jure irritum, 15.

Quid in voto mariti in subsidium terræ sanctæ eundi, vel illuc causa devotionis eundi, 16.
Quid de simili voto uxoris, 17.
An uxor teneatur operari viro, vel ad aliqua obsequia illi præstanda, n.18. *post quem invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 EGimus de obligatione reddendi debitum in genere & cum ex ea oriatur cohabitandi obligatio: rectus ordo exposcit, ut de ea hic fermo habeatur, simulque de obligatione se mutuo alendi consurgente in conjugibus. De hac igitur est præsens disputatio: & sequens qualiter hæc obligatio cesset ad dotem non solutam. Duplex est agitanda quæstio. Prior, de obligatione conjugum ad cohabitandum. Posterior, de obligatione ad se alendum.

2 Quæstio I. An teneantur conjuges simul habitare? Prima conclusio. Tenentur conjuges jure naturali ac divino simul habitare. Conclusio ab omnibus admittitur. Et constat, quia non minor est obligatio cohabitandi, quam reddendi debitum, sed ex hac oritur, & ex ipsa matr. natura, (ut probavimus n. seq.) sed hæc est ex jure naturali & divino, ergo & illa: insuper, quia *Alex. c.* 1. & 2. *de conjug. leprof.* hanc obligationem cohabitandi probavit ex illo Gen. 2. *Erunt duo in carne una*, & ex illo Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*. Atque ita clare tentit hanc obligationem ex jure ipso naturali ac divino oriri. Hæc autem obligatio non tantum est in eadem domo habitandi, sed etiam ad eamdem mensam accumbendi, in eodemque thoro jacendi. Ut bene docet *Ant. Cuc. l.* 5. *inst. major. t.*11. *n.*125. & experientia ipsa testis: id enim ad perfectam conjugum unionem exigitur, & ad intensissimam ipsorum amicitiam.

3 Secunda conclusio. Cohabitandi obligatio oritur ex ipsamet contractus conjugalis natura. Constat ex particula illa in matr. definitione posita, individuam vitæ consuetudinem retinens. Præterea, quia natura ipsa inclinans ad maris & feminæ conjunctionem, ad propagandam sobolem, inclinat ad eorum cohabitationem, ut soboles ipsa commodius educetur, ergo cum contractus conjugalis ipsam naturæ inclinationem in obligationem deducat, cohabitandi obligatio ex ipsa matr. natura oritur. Utrum autem possit iniri pactum de non cohabitando, dum matrimonium ipsum celebratur: dixi l. 5. disp. 10. num. 5.

4 Tertia conclusio. Conjugalis cohabitatio est homini naturalis: idest, ex naturali propensione & inclinatione dimanans. Hanc conclus. docet *Arist.* 8. *Ethic. c.* 12. his verbis. *Viro & uxori secundum naturam amicitia videtur inesse, homines enim conjugium subeunt, non solum procreationis, sed eorum etiam gratia quæ ad ipsam conferunt vitam: officia namque continuo sunt diversa, atque alia viri, alia sunt uxoris, opem itaque sibi mutuo ferunt.* Eamdem docent *D. Th. ibi lect.*12. *in comm. lit.T. & Abul. cap.* 19. *Matt. qu.*45. Et probatur 1. ex ratione ipsa Aristotelis, quia natura ipsa conjugibus diversa munia impertiens, ex iis quæ ad vitam humanam traducendam necessaria sunt, hunc conjugalis societatis scopum indicat esse naturalem: masculia enim rebus forensibus & externis occupari tribuit, feminis autem domesticis. Cum enim vir & femina simul utrique rebus indeant, signum apertum est, naturaliter inclinari eos ad illam vitæ societatem & cohabitationem, per quam ea mutua obsequia sibi exhibere possint. 2. Quia viri ut prudentioris est, uxorem consilii inopem dirigere: uxoris autem, viro in rebus domesticis famulari: quod mutuum obsequium requirit diu & suaviter impendi, absque individua vitæ consuetudine: ergo ad eam retinendam natura ipsa rationalis inclinat. Tertio, quia propagatio & commoda prolis educatio, ad quam natura ipsa inclinat, matrimoniique vinculum instituit, esse nequit seclusa parentum cohabitatione. Cum enim filius apud utrumque parentem educandus sit, nec commode educari nec institui potest, illis non cohabitantibus, cum variis rebus proles indigeat, quarum alteræ feminis, alteræ autem viris propriæ sunt. Tamdem quia verba Adami, statim ac mulier de ejus costa producta fuit, ejus naturalem propensionem significant, nempe Genes. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Quæ verba de adhæsione per simultaneam habitationem intelligunt *D. Thom. Ephes.* 5. *lect.*10. & *Abulens. c.*19. *Matth. q.*23.

5 Quarta conclusio. Possunt conjuges mutuo consensu separari quoad thorum. Probatur ex 1. *Cor.* 7. *Nolite fraudare ad invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*. Et ex D. August. & refertur, *c. Quod Deo*, 33. *q.*5. ibi: *Tanto sanctius inter vos conjuges manebitis, quanto sanctiora ac concorditer placita servabitis*. Et ex D. Greg. & refertur *c. Sunt qui*, 27. *qu.*2. *vers. Si vero*, ibi: *Si vero utrique conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare?* Sic *Sotus* 4. *d.*27. *q.*1. *ar.*4. *vers. At vero, circa mortem*. Hoc tamen debet intelligi duplici moderatione. Altera est, dummodo legitima adsit causa, ut amor continentiæ servandæ: secus quando odio aut indignatione ducti conjuges, communi consensu separantur. Altera, ne patiatur uterque aut alteruter incontinentiæ periculum. Utraque moderatio colligitur ex testimonio *D. Pauli* 1. *Cor.* 7. proxime adducto, causa enim justa significatur in illis verbis. *Ut vacetis orationi*. Ne sit incontinentiæ periculum in illis: *Nisi forte de consensu ad tempus, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Et docent *Host. c. Veniens n.*1. *de rég.* ubi *Jo. Andr. n.*9. *Ant. n.*10. *Card. fin. Abb. n.*6. Quare judex Ecclesiast. nullo modo permittere debet conjuges juvenes separatos esse ob incontinentiæ periculum. Ut bene tradunt *Abb. c.*1. *n.*7. *de conjug. leprof. & ibi Alex. de Nevo n.*6. Potestque ex officio propter hoc periculum compellere utrumque. Ut tradit *idem Abb. c. Ad id quod, nu.*3. *de sponsi.* (Quando autem ultra communem consensum voto se astrinxerunt conjuges, ad quid teneantur, & an possint resilire? dicendum est hoc l. disp.35. a n.18.) Et licet judex non compellat, lex charitatis obligat conjugem, ut alteri in hoc periculo constituto subveniat: quamvis propter illius consensum non violetur justitia.

Quinta conclusio. Potest judex Ecclesiasticus censuris, & 6
invocato sæculari auxilio, conjuges ad cohabitandum compellere, & vi adducere conjugem, qui separatus est. Probatur ex *c. Litteras, ad fin. de rest. spol.* ibi: *Ad restitutionem plenariam debet Ecclesiastica censura compelli*. Et docent *ibi Abb. n.*29. & *c. De conversf. conjug. Decius l.*2. *nu.*74. *vers.*3. *fallit, ff. de regul. juris Præpos. c.*1. *n.*6. & *ibi Alex. de Nevo n.*18. *de sponsf. Brun. de sponsf. concl.*1. *n.*8. *Cov.* 4. *decr. p.*3. *c. in prin. n.*1. *Ant. Cuc.* 15. *inst. maj. t.*11. *n.*126. *Matienzo l.*5. *recop. t.*1. *rubr. gl.*1. *nu.*90. *Enriq. l.*11. *de matr. c.*16. *n.*3. *fin. Lud.* 2 *p. instr. de matr. t.*54. *ad fin.* Idemque dicendum est, si alter conjux in eodem thoro & mensa renuat esse. Ut bene tradit *Ant. Cucus ibid.*

Imo si de valore matrim. minime sit controversia, potest 7
etiam Judex sæcularis ad id compellere. Quia quamvis ea ratione, qua matr. est sacramentum, sit res spiritualis, & fori Ecclesiastici, at qua ratione contractus est quidam civilis, potest etiam judex sæcularis conjuges ad mutuam fidem servandam compellere. Sic *gl. cap. Non est de sponsf. v. Uxores*, ibi: *Per officium judicis vel Episcopi loci. Et ibi Abb. n.*6. *Præpos. n.*9. *Jo. Andr. addit. ad Spec. lit. Qui filii sint legitimi*, §. *un. l. G. v. Præjudicialem. Ant. c. Illud, n.*10. *de præsumpt. Cov.* 4. *decr.* 2 *p. c.*7. *initio, n.*3. *Bursat. cons.*207. *fin. vol.*2. *Matienzo l.*5. *recop. t.*11. *rubr. gl.*1. *n.*92. Potest etiam judex Ecclesiasticus compellere conjuges ad reddendum debitum, ut constat ex *c. Ex publico, de conver. coni.* ubi *Abb. n.*3. recte advertit id similiter posse judicem sæcularem, ubi valor matrim. est certus, ob rationem dictam.

Potest etiam judex Ecclesiasticus contra laicum conjugis 8
alieni detentorem, ne cohabitet jus dicere, quamvis de matrim. valore lis minime sit. Constat ex *c. Non est, de sponsf.* ubi rex Anglorum, qui laicus erat, cogitur a judice Ecclesiastico per censuras, uxorem viro restituere. Et advertunt *ibi Abb. n.*3. & *Alex. de Nevo n.*8. Quia ratione spiritualis causæ repertæ in matr. pertinet ad forum Ecclesiasticum contra laicos procedere spoliantes conjuges.

Utrum autem possit maritus uxorem ab alio detentam vin- 9
dicare? negant *Joan. Andr. addit. ad Specul. t. Qui filii sint legit. §. un. lit. G. v. Præjudicialem. Calder. c. Non est de sponsal.* & multi alii, teste *Abbate ibi, n.*6. *idem Ant. ibi, n.*11. & *c. Illud, de præsumpt. n.*10. Ducuntur, eo quod uxor non sit in potestate viri, sicut filius est in patris potestate, *l. si uxorem, C. de cond. insert.* At verius est, posse vendicare adjecta causa juris canonici & divini. Quod optime explicat *Abb. c. Illud, n.*10. *de præsumpt.* sic: Vendicatio proprie non competit nisi habenti dominium verum, *l. in rem, in prin. ff. de re vend.* unde liberas personas hac actione vendicare non possumus, nisi adjecta causa illius juris, quo sunt in potestate nostra. Nam per adjectionem illius causæ denotatur non esse absolutam vendicationem veramque dominium, sed potestatem juri expresso competentem, Et hac ratione pater filium, civitas civem, religio monachum vendicat. Quia igitur uxor licet æqualis sit viro quoad debitum conjugale, est tamen jure divino sub illius potestate, in quantum non habet potestatem sui corporis, sed vir, 1. *Cor.* 7. est etiam in viri potestate, quoad gubernationem, & obsequia domestica. *Gen.* 3. *Sub viri potestate eris*, appellaturque pene famula viri, *c. Hæc imago & c. mulierem*, 33. *q.*5. potest a viro non simpliciter vendicari quasi serva, sed adjecta causa juris divini & canonici, quo mulier sub sua potestate est. Ita docent *Abb. eo c. Illud, n.*10. & *c. Non est, n.*6. *de sponsf.* ubi *Alex. de Nevo n.*14. *Præpos. n.*9. *Cov.* & *Matienzo n.*7. *allegati, Ant. Cuc. l.*5. *instit. maj. t.*11. *nu.*151. Et similiter dicendum est, posse maritum ab uxore vendicari, adjecta causa juris divini & canonici, quo potestatem habet in viri corpus, teneturque vir cohabitare, & illi assistere: ut probavimus n.2. Sic *Abb. d. c. Illud, n.*10.

Et quamvis lis inter patrem & filium prohibita sit, *l. Lis* 10
*nulla, ff. de judiciis l.*2. *t.*2. *p.*3. At potest filius familias agere contra patrem repetendo propriam uxorem. Probat aperte *c. Non est, de sponsf.* ubi cogitur Rex Anglorum restituere uxorem filio repetenti. Atque ita advertunt *ibi Abb. nu.*2. *Alex. de Nevo n.*8. *Præpos. n.*4. *Cov. Matienzo, Ant. Cuc. n. præced. allegati.*

Ex dictis infertur primo, teneri uxorem ad comitandum 11
virum alio mutantem domicilium. De qua re, & an valeat contraria consuetudo, vel pactum in ipso matrim. contractu initum: & an aliquando vir teneatur comitari uxorem: late disputavi l.1. tota disp.40. & sequentibus.

Secundo infertur, quamvis vir possit modico tempore, non 12
tamen posse diutius abesse. Quia lex divina obligat ad cohabitandum.

Insuper constat ex *c.*1. *de conjug. leprof.* ibi: *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutius esse*. Hanc autem diuturnam moram explicant *Host. eo c.* 1. *n.*2. *super verb. Diutius, & ibi Jo. Andr. n.*6. *Anchar. n.*5. esse donec judex requisitus, ab altero conjuge, vel ex officio ob incontinentiæ periculum cogat ad cohabitationem. Ceterum dicendum est, id verum esse in casu illius textus, scil. quando conjux sanus e leproso timore infectionis recedit, extra eum tamen casum, arbitrio prudentis consideratis absentiæ causis, & incontinentiæ periculo id definiendum esse. Cum *eo c.* 1. tempus minime definiatur, arg. *c. De causis, de offic. deleg. & l. Ait Prætor, ff. de jure delib.* atque ita docent *gl. eod. c.* 1. *verb. Diutius*, ubi *Abb. n.*7. *Præp n.*3. *Alex. de Nevo n.*6. *Astensis* 2. *p. sum.* 18. *t.*10. *n.*2. *q.*6. *Menoch. de arb. l.*2. *cent. casu* 456. *n.*2. Nec valet statutum aut consuetudo, ut viri diutius sine uxor sint; quia juri divino cohabitationem præcipienti, adversantur. Quod clare significat *Alex. III. c.*1. *de conjug. lepr.* ubi præmissa hac consuetudine subdit: *Quoniam igitur cum vir, & uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutius esse*. Et ita docent *ibi Ant. n.*4. *Alex. de Nevo n.*3. *Præp. num.*3.

13 Permissum tamen est viro, diu abesse ex causa justa: ut si Princeps ad bellum convocet, vel ad familiæ gubernationem, & rem familiarem tuendam id necessarium sit. Quia in eo eventu uxor est irrationabiliter invita, atque adeo vir non tenetur illi morem gerere, subeundo bonorum jacturam, aut præbendo se Regi inobedientem. Præterea, quia conjuges in ipso matrimonii contractu pollicentur sibi mutuum obsequium, & operarum communionem, quantum ad œconomiam, & propriæ domus gubernationem, & ad hoc tendit societas conjugalis. Ergo quoties viri prudentis arbitrio, ad familiæ gubernationem, & rei familiaris necessitatem, exigitur diuturna illa absentia, non debet censeri irrationabilis, & illicita. Sic *Sot. d.* 32. *q. un. ar.*3. *ad* 1. *vers. At vero, & q.*17. *de just. q.*1. *ar.*1. *vers. An vero. Navar. sum. Lat. c.*16. *n.*32. *vers. Tertio Manuel.* 2. *tom. summ. c.*90. *nu.*7. Addit autem optime *Sotus illo ar.* 2. *ad* 1. uxorem absque viri licentia non posse abesse. Quia nec militiæ, nec aliis negotiis idonea est.

14 Utrum autem teneatur vir, secum deferre uxorem, illam comitari volentem? videtur pars affirmativa probari clare ex *c. quod super, de voto in fin.* ubi decidit, virum eunrem in subsidium Terræ Sanctæ, teneri uxorem remanere nolentem, secum ducere. Quod idem habetur *l. fin. t.* 8. *p.* 1. ergo idem in quacumque alia viri profectione: cum eadem sit ratio. Sed sic existimo distinguendum: Si vir proficiscatur, statim redituras, aut nullibi notabilem moram facturus, sed ad varia negotia peragenda diversis in locis tendat, credo non teneri secum deferre uxorem. Quia molestum nimis esset, valdeque impediret iter, cum feminæ non ita facile ac viri possint iter agere, magnique expensis opus esset: dedecetque feminas ita peregrinari. Quare tunc uxor remanens esset irrationabiliter invita. Si vero maritus alicubi sit diu habiturus, suppetantque illi necessariæ expensæ ad transferendam uxorem: tenebitur secum ducere. Quia tunc rationabiliter vult uxor virum suum comitari. Et in hoc casu intelligitur *d. c. quod super.*

15 Tertio infertur, posse virum aliquam brevem peregrinatione absque uxoris consensu vovere, cum sit caput, possitque absque voto illam exequi, non tamen poterit longam peregrinationem uxore invita promittere, Prob. quia Deo minime placent quæ implenda sunt cum proximi damno, quale est hujusmodi votum, quod in præjudicium debiti, & habitationis conjugalis vergit. Præterea, quia *c. Ex multa*, §. *Intanta de voto*, conceditur viro, ut possit absque uxoris consensu vovere peregrinationem in subsidium Terræ sanctæ, ubi *gl. verb. Viri, & n.*8. dicunt esse specialissimum casum favore Terræ Sanctæ; & (ut dicemus n. seq.) non habet locum, quandovotionis. Ita docent *Ant. c. Scripturæ, n.*3. *de voto*, ubi *Abb. n.*8. *D. Ant.* 3. *p. t.*1. *c.*22. §. 1. *Rosel. Votum* 2. *n.*8 *Silvest. Votum* 5. *q.*1. *Abulen. c.*30. *Num q.*83. *Manuel* 2. *tom. sum. c.*90. *nu.* 7. *Angles floriß.* 2. *p. q. unica, de voto ar.*7. *post* 9. *diffic. dub.*3. *concl.*1. *Aragon.* 2. 2. *q.*88. *ar.*8. *fol.* 1020. Quod si objicias: uxor tenetur sequi virum, quod si nolit, sibi imputet: ergo ipsa invita poterit maritus exequi votum longæ peregrinationis. Dic uxorem non teneri ad quamcumque viri sequelam, sed ad eam solam, quæ ipsius statum decet, quare non tenetur virum peregrinationis votum exequentem comitari, ut diximus lib. 1. disp. 41. n. 8. quare illud votum in uxoris præjudicium est. Uxor vero nullum peregrinationis votum exequi potest, renitente marito, sed opus est, ut assensum præstet. Tum, quia uxorem peregrinari dedecet, atque ita esset in viri præjudicium. Tum etiam, quia in vovendi potestate non sunt pares: eo quod vir sit caput, & uxor ipsi subdita (ut probavi disput. præc. n. 8. ubi etiam an votum longæ peregrinationis viri sit ipso jure irritum dixi) Sic docent *Abb.* & *Abulen. ibidem*. Et juxta hoc intelligendi sunt multi Doctores absolute docentes, virum non posse peregrinationis voto se astringere, absque uxoris consensu. Hi sunt *Innoc. c. Scripturæ, de voto, n.*3. ubi *Hostien. ad fi. Joan. Andr. n.*8. *Card. q.*14. *Anch. n.*13. *Henricus n.*7. *lex fin. t.*8. *p.*1. debent enim intelligi, quando est votum longæ peregrinationis, ac subinde uxori præjudicans.

16 Excipiendum tamen est votum in subsidium Terræ Sanctæ eundi, potest enim vir, renitente uxore, illud emittere, & exequi teneatur. Habetur expresse, *c. Ex multa*, §. *In tanta, de voto*. Quia uxor potest sequi virum, quod si nequeat, justum est, ut ad tempus contineat favore boni publici totius Ecclesiæ. Dixi in subsidium Terræ Sanctæ, quia si peregrinatio esset solius causa devotionis, ut nunc contingit, non gauderet hoc privilegio, sed necessarius esset uxoris consensus ad illud exequendum votum. Nam text. *d. c. Ex multa, de voto*, in subsidium disponit, & cum sit in præjudicium uxoris, non est extendendus: eo vel maxime, quia sustinetur illud præjudicium ob favorem boni publici, quod minime versatur, quando peregrinatio est solius devotionis causa, sed sola privata voventis utilitas. Ita docent *Suppl. Gabr. q.*4. *d.*32. *q un. ar.*2. *concl.*6. *ad fin. Greg. Lop. l.*9. *verb. Ir a Jerusalem, t.*1. *p.* 1. *Palacios q.*4. *d.* 32. *disp.* 2. *paulo post princ. vers. porro autem. Siunica q.*3. *de voto n.*69. *Man.* 2. *tom. sum. c.*90. *num.*8

17 De uxore autem, An simile votum possit emittere, & exequi viro contradicente, sub judice est. Quidam id admittunt, si non sit junior, ac de incontinentia suspecta, sitque ita dives, ut possit gentem armatam ad bellum secum ducere. Quia licet textus nil disponat de uxore, at militat eadem ratio in hoc casu: ita sentiunt *Hostien. fun. t. de voto*, §. *Quis vovere possit, n.*9. *Innoc. c. Scriptura, de voto, ad fin.* & *ibi Card. q.*14. *Henr. n.*7. *Abb. d. c. Ex multa, n.*9. *Asten.* 2. *p. sum. l.*8. *t.*10. *ar.*2. *q.*5. *Abul. c.*30. *Num. q.*83. *D. Ant.* 3. *pt. t. c.*22. §. 1. *Tabien. Matr.* 1. §. *fin. Nav. sum. c.*12. *n.*62. *Greg. Lop. l.*3. *verb. Nin la muger, t.*8. *p.*1. *Lud. Lop. p.*1. *instruct. c.*46. §. *pen. Capua p.* 2. *dec. l.* 2. *c.* 12. *num.* 27. At probabilius est non posse. Quia mulier cum majori castitatis discrimine, & minori Ecclesiæ commodo potest peregrinari, insuper debet regi a viro, atque ita facilius tenetur ipsum sequi, quam econtra. Quare par non est, ut dispositum in viro, ad uxorem extendatur. Ita docent *D. Th. q.*4. *d.*32. *q un. ar.*3. *ad* 1. ubi *Dur. q.*2. *p.*8. *ad* 1. *Paludq.* 2. *ar.*3. *n.*25. *ad* 1. & *q.*38. *q.*3. *ar.*1. *n.*10. *Supplem. Gabr. q.*4. *d.* 32. *q un. ar.*2. *concl.*7. *Silv. Votum* 5. *q.*3. *Lex fin. tit.*8. *p.* 1. *Sotus* 4. *d.* 32. *q un. ar.*3. *vers. at vero Viguer. l. inst. c.*16. §. 7. *ver.*18. *fin. Siunica q.*3. *de voto, n.*70. *Man.* 2. *tom. sum. c.* 90. *n.* 8.

An uxor teneatur aliqua obsequia impendere viro? dixi 18
l. 6. disp. 6. n. 14. & 15.

SUMMARIUM.

Vir tenetur uxorem alere, num. 19. & *ibi remissive, quid, quando dos non solvitur, aut uxoris culpa amittitur, aut indotata ducitur uxor.*
Quid quando culpa alterutrius conjugis, non simul vir, & uxor habitant, sed seorsum, 20.
Quid, si quando seorsum habitant, vir retineat dotem, aut indotatam duxerit uxorem, 21.
Quid, si uxor a viro percussa recedat, 22.
Quid, si culpa non tendat directe ad separationem? ut si uxor hæretica in carcerem perpetuum detrudatur, vel vir bannitus sit, aut in triremibus, 23.
Quid, si is cujus culpa separatio facta est, velit cohabitare, cautionemque dare de non offendendo, n. 24. & *ibi, ultima culpa nocet.*
Quid, si neutrius conjugis culpa fiat separatio: ut propter morbum, 25.
An in extrema necessitate sit præferenda uxor parentibus, filiis, cæterisque viri cognatis, 26.
An vir pauper teneatur uxorem, & filios alere: & uxor dives teneatur virum alere, 27.
An uxor, & filii teneantur ex mutuo per virum pauperem ad ipsos alendos recepto, atque ita ex dote aut aliis propriis bonis teneantur illud solvere: refertur opinio affirmans, cum suis moderationibus, 28.
Contraria auctoris, quamvis extent res illo mutuo emptæ, n. 29. & *ibi: Quid si vir prodige aluerit ultra debitum uxorem, an danda sit illi dos integra? Quid, si vir tradat feminæ centum aureos fradendos viri creditori, & illa non tradat, sed expendat in familiæ sustentationem, an teneatur ipsa ex bonis propriis solvere, si vir possea solvendo non sit*, 30.

19 QUæstio II. An conjuges teneantur sibi mutuo alimenta præstare? Prima conclusio. Vir tenetur uxorem alere. Constat ex *l. pen. ff. ut in possess. l. Si filia* §. *ff. famil. ercisc. l. Si cum dote* §. *Sin. autem, fol. matr.* & latissime prosequitur *Surd. de alim. t.*1. *tota q.*32. Et ratio est, quia ideo dotem uxoris recipit vir, ut matrim. onera sustineat, ipsi & familiæ alimenta præstet, *l. Pro oneribus, C. de jure dotium, l. Dotis fructus ff. eod.* Quando autem dos promissa non solvitur, aut ejus culpa deperditur, aut indotata ducitur a viro, an sit alenda, dicam disp. sequenti.

20 Intellige tamen, quando uxor viro cohabitat, si enim absque viri culpa, propria temeritate, ab ejus consortio recedat, alenda minime est a viro. Quia uxor debet esse in viri obsequio, *c. Hæc imago*, 33. *q.*5. ac proinde si obsequium debitum minime præstare velit, receptura non est alimenta sibi debita. Qui enim non facit quod debet, non recipit quod oportet, *l. Si ea C. condit. insert. l. Jul.* §. *Affinis, ff. de aed. empt.* Si autem viri culpa, ut ob ejus sævitiam recedat uxor, alenda est. Nam cum ipsi non imputetur in viri obsequio non esse, sed culpæ viri id tribuendum sit, perinde censendum est, ac si in viri obsequio esset, *l. Jure civili, ff. de cond. & demon.* ubi conditio habe-

habetur ac impleta, quando deficit culpa ejus, cui impleuda erat. Ita docent *Cyn. l. Quod in uxorem, n.3. C. de neg. gest. & ibi Bald. num.2. Salyc. n.3. idem Bald. l. 1. num.9. C. de fugat. & ibi Jas. Bald. num.2. Alex. l. Si cum dotem, §. Sin autem, n.7. ff. sol. matrim. num.4. Alex. l. Si cum dotem, §. Sin autem, n.7. ff. sol. matrim. Guido dec.439. num.6. Cumanus cons.175. num.3. Hippol. l. n. fin. C. de Guido dec.439. num.6. Cumanus cons.175. num.3. Hippol. l. n. fin. C. de Rerapt. virg. Tiraq. de retr. lign. §.10. gl. un. num. 14. & 16. Bertaeb. in repert. lit. M. verb. Maritus alere, vers. Maritus non tenetur in repert. lit. M. verb. Maritus riuosus. Joan. Lupus rubr. de donat. debet junctio vers. Maritus riuosus. Joan. Lupus rubr. de donat. inter vir. & uxor. §. 64. n.10. & c. Per vestras, nota 3. in prin. num.4. & 8. Cov. 4. decr. 2. p. cap.7. §.5. num.2. Guttier. q. canon. l. 1. c.24. n.7. Lara l. Si quis a liberis, §. Si quis ex his, nu.34.35. & ff. de lib. agnosc. Petrus Greg. Syntag. juris, 1.9. cap 19. n.4. Matienzo lib.5. recop. t.9. l.2. gl.1. n.33. Cavalc. alios referens, 2. p. dec.20. de contract. quæ in ordine est 67. num.2. Peguera dec. crim. 20. a num.4. Barbosa, 2. p. rubr. ff. sol. matrim. num.43. Surdus de alim. tit.1. q.32. nu.17. & seq. & tit.7. q.16. a num. 1. Brunor. in suo compendio, lit. M. verb. Maritus, vers. Maritus cogitur.*

21 Hæc autem adeo vera sunt, ut quando sua culpa uxor recedit, vir quamvis dotem habeat, minime obligetur ad ipsam alendam. Quia uxor tenetur viro dotem tradere, & in ipsius obsequio esse, quare si in alterutro deficiat, cessat ipsa alendi obligatio. Ut bene docent *Surd. de alim. tit.7. q.16. n.14.* Et e contra, si vir in culpa sit, tenetur uxorem absque dote ductam alere; Quia si secum habitaret, ad id teneretur (ut dicemus disp. seq. n.8.) & cum viri culpa minime habitet, gaudebit habitantis privilegio: ut dixi n. præc. Atque ita docent *Joa. Lup. c. Per vestras, de donat. inter vir. & uxor. not.3. in princ. nu.4. vers. Ego vero Matienzo* alios referens *lib.5. recop. t.9. l.2. gl.1. n.50. Barbosa, 2. p. rubr. ff. solut. matrim. num.43. l.2. gl.1. n.50. Barbosa, 2. p. rubr. ff. solut. matrim. num.43.*

22 Hinc infertur uxorem a viro recedentem ob nimiam castigationem, alendam esse a viro, secus si moderata sit. Quia in priori casu, culpa viri est, in posteriori autem, uxoris. Permissum est enim viro uxorem corrigere, moderateque punire, *l. Rei judicatæ, ff. sol. matr.* at cuare & comiter oportet eam tractare. Talis namque est inter illos societas, qualis inter patrem & filium, non cujusmodi inter mancipium & dominum. Ut eleganter docet *Lud. Vives in lib. de offic. mariti, c. de eligenda uxore, ad fin.* Sic *Lara, l. Si quis a liber. §. Si quis ex his, n.110. ff. de lib. agnosc. Surd. de alim. t.7. q.16. n.5.* Existimo autem exigi nimium castigationis excessu, quo tuga hæc uxoris culpa vacet, ac proinde extra viri domum ea non obstante ipsi debeantur alimenta. Quamvis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda uxore excedat, non continuo licet uxori ab ejus consortio aufugere.

23 Rogabis autem, quid dicendum sit si uxor ob propriam culpam, ut hæresim, in carcerem perpetuum includatur? Videtur enim virum alendi obligationes eximi. Quoniam culpa sua extra viri consortium est: nec vir, quamvis ob hæresim non celebret divortium, tenetur in eo carcere illi cohabitare. Atque ita sub dubio, cogitandumque relinquens sentit *Joan. Lup. rub. de donat. §.64. n.7.* & affirmant *Simancas de cathol. inst. in priori ed. c.16. n.8. Rojas sing.126. Surd. de alim. 7. q.21. nu.9.* Ceterum ex hoc capite credo virum minime excusari (dico ex hoc capite) nam si dos publicetur ob delictum, teneatur, eo quod indotata maneat necne vir ipsam alere, dicemus disp. seq. nu. 10. Quare esto dos maneat apud virum, tenetur alere, si divortium non celebretur ratione hæresis: & similiter, si indotatam duxerat. Et ad hoc sentiendum ducor, quia culpa illa uxoris non tendit directe ad separationem habitationis, sicuti contingit quando propria temeritate aufugit: unde in separatione illa, nulla uxoris culpa versatur, sed tantum in causa. Quis enim dicetet uxorem, quæ culpa sua lepra infesta est, licet in causa sit prævia, ob quam juste vir ab ejus consortio recedit, alendam ab eo minime esse, quasi culpa sua seorsum habitantem? Accedit, uxorem teneri alimenta mittere viro pauperi, sua culpa bannito exulanti (ut probavimus l.1. disp.41. nu.13.) Idemque videtur dicendum, ubi vir culpa sua in triremibus esset. Tandem, quia (ut dicemus nu. seq.) conjux culpa sua recedens, jus alimentorum recuperat, si pœnitentia ductus velit cohabitare: at uxor in carcerem perpetuum inclusa, sui delicti pœnitentiam agit, parataque est viro cohabitare, ubi sibi permissum fuerit: non ergo ex cohabitationis defectu privanda est alimentis. Ideo hanc sententiam sibi contrariam tuentur *Simancas in catho. instit. in 2. ed. tit.16. n.18. & 19. & Surd. de alim. tit.7. q.16. num.14.* quamvis in ea sit sententia, ut vir non teneatur in hoc casu alere uxorem, concludit tamen, subveniendum esse illi secundum regulas eleemosynæ, ne fame pereat.

24 Et ad decidendum cujus culpa separatio habitationis contingat, attendendum est semper ad ultimam copulam, juxta regulam *l. Illud, 17. ff. de periculo, & commodo rei venditæ*, ibi: *Æquum est posteriorem moram nocere.* Quare si uxor, quæ culpa sua recesserat, pœnitentia ducta ad virum rediens nolit admitti, jam ex tunc uxoris culpa purgata in viro transfunditur, tenebiturque ipsi seorsum habitanti alimenta præstare. Ita docent *gl. c. significasti, verb. Materiam in fi. de divor. ubi Host. n.2. super verb. Restitui. Jo. Andr. n.7. fin. Ant. in fin. Anch. n.7. Abb. n.8. Alex. de Nevo n.7. Gard. n.2. Pr. cap. n.4. Alex. cons.78. n.1. lib.5. Barbosa 2. par. rubr. ff. sol. matr. n.4.* Et contra si ob sævitiam mariti uxor inculpate autugerat, virque cautionem de securitate sufficiatem præstat, nec tanta sit ejus sævitia, quin cautione illa satis uxori consulatur, & uxor adhuc ad virum redire renuat, non tenetur ex tunc ei extra consortium suum existenti alimenta subministrare. Quia ultima ea culpa uxori nocet. Sic cum *Ferreto cons. 34. num. 18.* docet *Barbos. eod. n. 44.*

Ubi autem neutrius conjugis delicto separatio contigerit, 25
ut ob viri furorem, vel morbum contagiosum, cujus infectionis periculo uxor cohabitans exponeretur, alenda utique est uxor seorsum habitans. Cum enim culpa vacet, par non est, ut damnum privationis alimentorum subeat. Ut bene multus relatis docet *Lara l. Si quis a liberis §. Si quis ex his, n.36. ff. de liber. agnosc. Barbosa 2. p. rubr. ff. solut. matr. n.43.*

Dubitabis autem, in extrema indigentia constitutis uxore, 26
parentibus, & filiis, vel aliis mariti cognatis, cui potius teneatur vir subvenire? *Enriq. l.11. de matr. c.8. n.1.* ait uxorem præferendam esse filiis, aliusque cognatis, & refert pro se *D. Th. 2.2. q.26. ar.11.* qui id minime dicit. Sed sic distinguendum est: extra casum extremæ necessitatis potius tenetur vir uxori, quam parentibus succurrere. Quia in iis quæ ad œconomicam rationem circa extremam indigentiam attinent, arctior est conjugalis unio, Juxta illud Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Et Matt. 19. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* In extrema autem necessitate, potius parentibus est subveniendum. Quia est debitum antiquius erga parentes, & ratio boni, quod est dilectionis objectum, inventur eminentius in patre: *teste D. Th. eo ar.11.* diliguntur enim parentes, ut principium: ac proinde major est cum illis conjunctio, quam cum alio, cui in extrema necessitate subveniur. Id videtur sentire. *D. Th. eo ar.11. ad 1.* & docent *ibi Bannez in fine, & Arag. ibi, ad fin. Valentia 2.2. disp.3. q.4. pract.5. coroll.10.* ubi bene colligitur ex *Cajet. ea q.26. ar.12.* filius in extrema necessitate magis subveniendum esse quam uxori. Quia ili quoad conjunctionem magis amantur, cum sint aliquid substantiæ, & pars viscerum parentum, uxor autem non est pars viri.

Secunda conclusio. Maritus inops non tenetur uxorem 27
alere: sicut non tenetur filius juxta *l. Si quis a liberis, §. pen. ff. de liberis agnosc.* & tradunt *Bald. l. Ubi adhuc, n.25. C. de jure dot. Jo: Lup. l.61. Tauri n.11.* ubi *Castillo n.23. Azeb. li.5. recop. t.3. l.9. n.32. Barb. l. Si constante, 25. in pr. n.52. ff. sol. matr.* Et ratio est, quia non tenetur uxori ultra quam facere possit, *l. Etiam & l. Maritum, ff. sol. matr.* Quinimo si uxor dissit, *l. Etiam & l. Maritum, ff. sol. matr.* Quinimo si uxor dissit, teneatur viri inopi alimenta præstare. Ut probat *l. Cum dotem, 23. §. Si maritus, ff. solut. matr.* ibi: *Quid enim vel uxorem viri participem esse?* Et ita docent *Speculat. tit. Qui filii sint legit. §. un. n.40. Bart. tr. de alimentis, n.49. & d. l. Si cum dotem, §. Sin autem, n.6.* ubi *Alex. n.9. Jo: Lup. l.61. Tauri, n.11.* ubi *Castil. n.24. Bertaeb. in repert. lit. V. verb. Uxor. alitur, vers. Uxor. dives. Guido dec.439. num.2. Lara* multos referens *l. Si quis a liberis, §. Si quis ex his, n.14. ff. de lib. agnosc. Pontanus de alim. c.14. n.1.* tribetur *t.8. tr. p.1. Petr. Greg. Syntag. juris, l.9. c.19. n.5. Azebedo lib.5. recop. t.3. l.9. n.33.* ubi & *Matienzo gl.4. n.2. Surd. de alim. t.1. qu.35. n.6. & 7. & q.36. n.6. & 7.* ubi *n.9.* cum multis per eum relatis docet, si bona dotalia minime sufficiant, teneri uxorem ex bonis paraphernalibus ea alimenta tribuere.

Hinc infertur solutio gravissimæ quæstionis: An quando, 28
soluto matrimonio, nulla viri bona superfunt, teneatur uxor bonis dotalibus solvere debita a viro contracta, ad ipsam, & familiam alendam, ut ad solvendam famulorum mercedem, domus locationem, vestes & cibaria familiæ? Et similiter an possint conveniri filii, teneanturque mutuum a patre inope acceptum pro ipsorum alimentis solvere? Eadem enim prorsus est utriusque quæstionis decisio & ratio: ut bene advertit *Surdus de alim. tit.8. privil.48. num.6.* omnes DD. referendi, loquentes de uxore, asserentesque teneri, id comprobant per DD. id de filiis affirmantes. Multi DD. (& satis probabiliter) opinantur, uxorem teneri & filios ad dictum æs alienum solvendum. Dicuntur primo. Quia ubi res aliena in utilitatem alicujus conversa est, quamvis eam minime acceperit, tenetur saltem in subsidium accipientis, qui non est solvendo, ut constat ex *l. Ei qui 7. §. ait oquin, C. quod cum eo*, ubi habetur aliquo in re mea contrahente absque meo mandato, teneri me, si res in commodum meum convertatur, & ex *l. His solis ff. de condiff. indeb.* ubi cum decernatur jus repetendi pecuniam competere solum contra recipientem, non contra eos quibus proficit: ajunt *gl. verb. Proficit, & ibi Salicet. n.1. Paul. n.2.* hoc fallere in subsidium, si recipiens non sit solvendo, & quibus proficit, habeant ex causa lucrativa, secus si onerosa: sed quando maritus aut pater inops mutuo accepit pecunias, ad uxorem & filios alendos, pecuniæ illæ cessant in utilitatem uxoris & filiorum, habentque eas ex causa lucrativa, non autem onerosa: ergo viro aut patre impotente ad solvendum, tenentur in subsidium. Probatur minor, quia pater vel maritus inops minime tenetur uxorem aut filios alere (ut probavi n. præc.) ac proinde alimenta ab ipso præstita non habebunt ex causa onerosa, sciicet tanquam ipsis debita, sed ex causa lucrativa, & ex viri liberalitate: unde & pecunia in alimentis expensa, dicetur conversa in uxoris, & filiorum utilitatem, Nam (ut bene ait *Mutian. 20 lib.5. recop. tit.3. l.9. gl.4. n.2.*) versum dicitur in uxoris & filiorum utilitatem, quod in ipsis alendis a viro inope ad id non obligato consumptum est. Secundo. Quoniam ubi aliquis occasione pecuniæ, aut rei cujuscumque alienæ consumptæ, sit ditior, tenetur, quamvis pecuniam illam aut rem apud se non habeat, ut constat ex *l.2. ff. ad l. Rodiam de jactu, in princ.* ubi habetur, si laborante nave mercium jactus factus sit, detrimentum futurum commune etiam eorum, qui propter amissas aliorum res consecuti sunt, ut suas merces salvas habeant: sed occasione mutui accepti a viro pauper uxor, & filii eo alimentari sunt effecti ditiores, se enim aut propriis bonis aut mutuo accepto alerent, nisi pater aut vir accepisset, prout non tenebatur: ergo viro aut patre non existente solvendo, tenentur solvere. Et confirmatur; quia licet pater non teneatur ex mutuo filiofamilias facto; ut constat ex *toto tit. ff. ad S.C. Maced.* at si conversum sit in rem patris, videlicet, ad quam pater subministrandam adstrictus erat, tenebitur: ut constat ex *l. Sed Julianus, 9. §. Proinde, ff. eod. t.* Ergo quamvis uxor, & filii non teneantur ex mutuo per patrem aut virum accepto ad ipsos alendos, tenebuntur tamen quando in eorum rem versum est, quia scilicet, eo alimenta, ad quæ vir non tenebatur, empta sunt. Tertio, ex *l.61. Tauri, hodie l.9. t.3. l.5. reco.* ex qua constat uxorem non teneri ex debito contractu a marito, nisi probetur versum esse in ipsius uxoris utilitatem, in rebus, ad quas vir non tenebatur, at dum est inops, non tenetur ad alimenta: ergo uxor obligatur nummos mutuo acceptos pro alimentis solvere. Tandem, quando uxor aut filii sunt divites, pater vero aut maritus pauper, probatur teneri. Debita contracta ab ipsa uxore vel filiis, tenentur ex suis bonis solvere, at dum pater aut vir est inops, tenentur uxor & filii divites ipsum alere, & suam familiam: ergo æs alienum ad hoc contractum est vere debitum ipsius uxoris & filiorum, ac subinde astringuntur illud solvere. Ideo hanc sententiam loquentem de filiis tuentur *Bart. dubitans*, & cogitandum relinquens, *l. His solis, fine ff. de cond indebiti. Ange. ibi n.1. Jason n.2. idem Jason l. Si me, & Titium, n.3. ff. si cert petat. & l. Si cum servum, n.1 ff. eod. tit.* ubi *Purpuratus, n.5. Cepol. cautela 246. incipienti, Quid si pater. Franc. Cremensis singulari 36. incipienti, Tu mutuasti pecuniam. Lud. Roman. singulari 210. incipienti, Pater erat pauper.* & loquentes in filio, & uxore docent idem, *Jo: Lupus* dubitans, & relinquens cogitandum, *rubr. de donat. inter vir. & uxor. §.66. n.5. & 6.* & id omnino definiens *idem Jo: Lup. l.61. Tauri, n.11.* ubi *Castillo n.23. & 24. Lara l. Si quis a liberis, §. Si quis ex his, n 115 ff. de liberis agnos. Gama 1. par. dec.366. n.7. Baeza de inope dubit. c.1. n.53. & 54. Azebed. lib.5. recop. tit.30. l.9. n.32. & 30 31. Matie. eo. lib.5. tit.9. l.3. gl.7. n.5. Barb. l. Si constante, 25. in princ. n.52. ff. sol. matr. Surd. de alimen. tit.8. privil.48. n.5. & 6.* citanturque communiter pro hac sententia, *Bald. l. fin. c. ad Macedonianum*, ubi nil dicit: & *Platea l. uxorem fine, C. de decurion. l.10.* ubi mota hac quæstione nil definit, sed tantum ait *Bart. l. His solis*, in simili arguere. Addit *Barbosa n.35.* viro dante majora alimenta, quam teneretur, obligari mulierem in subsidium. Et retenta hac sententia, idem dicendum est, nempe teneri filios illud mutuum solvere, quamvis hæreditatem paternam renuntient. Ut bene advertunt *Franc. Cremensis, & Baeza, n.53. proxime citati.* Quia obligatio hæc non consurgit ex hæreditatis additione, ut ita filii tanquam hæredes teneantur patris debita solvere, sed eo quod mutuum illud a patre acceptum est versum in illorum utilitatem, & illius occasione locupletiores facti sunt, nec bona patris ad id persolvendum superfunt. Præterea hæc sententia tunc solum locum habet, quando pater vel maritus tempore æris alieni contracti erat jam inops; secus si dives, licet enim postea facultatibus haberetur: minime tenerentur uxor, & filii. Quia tunc vir aut pater tenebatur ad ea alimenta, quæ uxor & filii sibi debitum receperunt, ac proinde non censentur effecti locupletiores, nec mutuum illud dicetur conversum in eorum utilitatem. Ita docent *Ang. Barb. Surd. proxime citati*; atque manifeste sentiunt omnes auctores hujus sententiæ, siquidem omnes loquuntur de patre, aut marito inope, insuper hæc sententia procedit, licet uxor aut filii essent etiam inopes tempore mutui accepti, tenebuntur enim, dum bona habuerint, id debitum solvere. Quoniam adhuc id mutuum in eorum cessit commodum, & ditiores facti sunt: cum pater aut maritus inops ad ea alimenta non teneretur: & ipsi aliunde, ne fame perirent, quæsituri essent. Ita docent in filiis loquentes *Cepola, & Lud. Rom. proxime pro hac sent. relati*: & aperte colligitur ex *Baeza de inope debitore, c.1. n.54.* reddens enim rationem, cur filii hoc mutuum solvere teneantur, ait: *Quia nisi pater accepisset, mutuo erant accepturi, ne fame perirent.* Ubi manifeste loquitur, quamvis filii tunc essent pauperes. Latum tamen discrimen invenio etiam stando in hac sententia, quando mater tunc erat dives, ipsique non deerant facultates necessariæ ad alendam familiam, vel quando similiter erat pauper, & similiter de filiis. Nam si mater erat pauper, minime tenebitur ad æs alienum contractum pro alendo marito & familia, cum ad ea alimenta non teneatur, nec ea omnia cesserint in suam utilitatem, sed tantum tenebitur pro rata sibi correspondenti, & filii pro sua parte, si vero dives esset, teneretur integre solvere. Quia tenebatur virum, filios, & familiam alere: & ita sentit *Jo: Lup. l.61. Tauri n.11.* loquens de matre divite. Pari ratione filii si sint pauperes, & etiam parentes obligabuntur ad eam solam partem, quæ cum ipsis consumpta est, quia non tenebantur parentes alere, si vero divites essent, & parentes pauperes, teneretur ad alimenta integra. Quia tenebantur parentes suos alere, *l. Si quis a liberis, §. Si vel parens, & §. Item rescriptum, ff. de liberis agnos.*

Ceterum quamvis hæc sententia sit satis probabilis, con- 29
traria magis mihi placet, nempe, nec uxorem nec filios teneri illa debita, per maritum aut patrem contracta, solvere ex suis bonis. Ad quam probandam præmitto, in viro pauperem non esse omnino extinctam obligationem alendi uxorem & filios, sed tantum suspensam pro inopiæ illum excusantis tempore, ficut quicumque debitor ratione inopiæ non deobligatur prorsus ab ære alieno solvendo, sed tantum suspenditur illa obligatio, excutaturque a solutione, dum impotentia ratione inopiæ durat. Quod inde aperte constat, nemo enim dubitabit uxorem, & filios minime teneri ad ea debita a viro inope contracta pro eorum alimentis, si facultates viri successu temporis ita augeantur, ut sit illa solvendo: at si ratione paupertatis obligatio illa prorsus extincta esset, facultatibus auctis minime reviviscerat. Obligatio enim semel extincta non reviviscit, *leg. Cum ex causa, Cod. de remiss. pign.* Hoc præmisso probatur sic nostra sententia: Si Petrus quo suis satisfaciat creditoribus, magnum æs alienum contlet, existimans fore, ut sit postea illud solvendo, quamvis contrarium eveniat, nullus dicet creditores, quibus eo mutuo satisfactum est, & in quorum utilitatem cessit, teneri posterioribus creditoribus, qui mutuo illas pecunias dederunt Petro. Quia hi posteriores creditores nullum cum prioribus contractum iniere, & vere per mutuum transtulere dominium in Petrum, & Petrus tanquam verus dominus potuit suis debitis ex eo mutuo satisfacere, quamvis ab illorum solutione ratione inopiæ excusaretur. Similiter ergo, quamvis maritus inops ratione impotentiæ eximatur, seu potius excusetur pro tunc ab onere alendi uxorem & filios, nec teneatur ære se alieno gravare, quod huic obligationi respondeat: at si vere se gravavit, & sic aluit, veram obligationem ratione impotentiæ suspensam adimplevit, nec dicetur pecunia illa conversa in utilitatem uxoris & filiorum, ad quam pater vere non tenebatur: nec uxor & filii vere dicentur effecti locupletiores, & ex causa lucrativa recipientes, sed potius ex causa onerosa, cum vere ipsi debitum receperint; ac perinde illud mutuum minime astringuntur solvere. Et confirmatur, quia licet uxor esset dives tempore mutui accepti a viro paupere, non tenebatur directe ad alimenta viri & filiorum, sed in subsidium, scilicet, viro non quærente aliunde pecunias, quibus necessaria suppediteret: & cum jam quæsierit, mutuo accipiens, uxor ab eo onere relevata est, nec ipsi pecunia est mutuo data, nec suo nomine recepta; non ergo illam solvere tenebitur. Secundo probatur ex *l. Non adversus 15. Cod. si certum petat. l. Cum de action. & obl.* ibi: *Cum mutuam dedisti pecuniam, ad solutionem urgere competenti debes actione. Nam adversus negotiatores, quos ex mercibus pecunias abstulisse, tuo debitori proponis, nullam habes actionem.* Ex quibus textibus constat actionem hanc mutui repetendi esse personalem, ac proinde contra solum debitorem, cui datum est, competere: cum in illum vere translatum sit dominium, ac instar veri domini potuerit de illo disponere. Tertio, quia uxor soluto matrim. potest integram dotem recuperare, licet vir prodige expenderit ipsam, ultra debitum alens: ut bene docent *Nav. sum. Hispana, cap. 28. add. ad n.153. cap.17. Lat. c.17. n.155. Manue. l. tom. sum. 2. edit. c.100. n.7.* nec audiendus est *Barbosa*, qui (ut n. præc. retuli) sensit teneri uxorem illa alimenta superflua ex suis bonis solvere: at vir minime tenebatur illud superfluum expendere: ergo virum non teneri, non transfundit onus in uxorem, ut de suo solvat. Tandem, quia *l. 60. Tauri hodie l.5. recop. t.9. l.9.* generaliter decidit, mulierem lucris constante matrimonio acquisitis renunciantem, non teneri ad æs alienum constante matrimonio a viro conflatum. Et *l.61. Tauri, hodie l.9. t.3. eod. l.5.* bene ponderata favet huic sententiæ, nam in priori ejus parte decidit, uxorem pro viro spondentem non teneri, licet allegatur debitum in uxoris utilitatem conversum esse: si autem mutuo uterque conjux se obligarint solum teneri, si in ejus utilitatem cesserit, ut quia consumptum sit in iis, quæ maritus præstare non tenebatur. Si ergo quando uxor se obligavit, non tenetur, licet debitum vere in ejus utilitatem cesserit, prout intelligit eam *l.61. Ant. Gom. ibi n.2.* a fortiori non tenebitur, ubi non se obligavit. Et confir. quia in 2. *p. illius l.61. Tauri*, ubi decisum erat uxorem non obligari, nisi mutuo cum marito se astrinxerit, & tunc solum si constet mutuum in ipsius utilitatem cessisse: subditur, *Pero si lo que convirtio en provecho della fue en las cosas que el marido le era obligado a dar, assi como vestirla, y dar le de comer, y las otras cosas necessarias: mandamos, que por esto ella no se a obligada a cosa alguna.* Tunc sic, aut hæc lex disponit dum vir est locuples, & hoc non, nil enim disponeret, cum quicumque fidejussor solum teneatur in subsidium, ubi principalis debitor solvendo non est: eo vel maxime, quod illa lex jus novum continet, teste *Ant. Gom. ibi n.2.* Vel disponit ubi bona deficiunt viro ad solvendum, & tunc habetur intentum. Nec obstant argumenta contrariæ sent. propolita n. præc. Quia ex dictis constat, uxorem & filios habere ex causa onerosa, & illud mutuum non vere dici conversum in eorum utilitatem, & *l.61. Tauri*, quam oppositi pro se adducunt, potius favet huic sententiæ, ut proxime probavi. Et ideo hanc sententiam loquentes de filiis, tuentur *Alciat. l. Si cum servum num.27. ff. si cert. pet. Decius ibi num. 2. additionator ad Decium, littera A*, & loquens de uxore tenet idem, attento jure hujus

regni